ALEXIKEPVS SEV AVXILIARIS ET MEDICVS HORTVS, RERVM VARIARVM, ET SECRETORUM REMEDIORUM ACCESSIONE LOCUPLETATUS.

ALEXIKE-
PVS SEV AVXILIARIS
ET MEDICVS HORTVS, RE-
RVM VARIARVM, ET SECRE-
torum remediorum acceſsio-
ne locupletatus.

AVTORE ANTONIO MIZALDO
MONLVCIENSI MEDICO.



COLONIAE.
Apud Ioannem Gymnicum, ſub Mono-
cerote, M. D. LXXVI.

VIRO ERVDITIONE ET PRVDENTIA INSIGNI, IOANNI CAMVSIO, IN SECRETIORE Regis consilio Senatori, & Regij ærarij Præfecto, ANTON. MIZALDVS Medicus S. D.

HERBARIAE medicinæ admiranda secreta, & auxiliares, vt sic dicam, manus, dum olim perpendissent Imperatorum, Regum, & illustrium hominum quamplurimi, Vir ornatissime, & si in Republica administranda, & regendis prouincijs, tractandisque regnorum grauissimis negocijs valde essent occupati, eos nihilominus, captato ocio, non mediocre studium colendis hortis, & inquirendis plantis, scrutandisque illarum viribus adhibuisse, fidem faciet [vt herbas multas taceam, quæ à Regibus & illustribus viris earum inuentoribus & cultoribus, sua adhuc retinent nomina] celebre Diocletiani Imperatoris responsum, Herculio & Galerio, vt scribit Sextus Aurelius Victor, perappositè redditum. Quo scilicet tempore ab his sollicitè hortabatur ad recipiendum Imperium, quod vltro dimiserat. Vtinã, inquit ille, possetis visere olera nostris manibus Salonæ instituta, profecto istud tẽtandũ nunquã iudicaretis, nec me ad onerosum Imperij diadema repetẽdũ tã anxiè sollicitaretis. Credibile est, sanè, id rei herbariꝫ studiũ, eamq; hortensiũ curá, tãtos viros nunq̃ inuasisse, ꝗ plantarum

 cogni-

cognitio illis iucunda esset ac delectabilis, sed quòd saluberrima, & omnium vtilissima videretur, cùm ad vitæ cõmunis vsum, tum ad tuendam sanitatem, & præcauendos, abigendosue morbos, seu instantes, seu præsentes. Quæ singula, ad excurrendum ærumnosæ istius mortalis vitæ lubricum stadiolum, cùm alijs, tum maximè prudentibus & circumspectis viris, iuuandæ Reipublic. natis & vocatis summè optanda, omnique ope comparanda esse quis neget? Horum itaque virorum albo ascriptus cùm sis, nec frustra, nec temerè, priscorum memorabili exemplo inuitaris & tuapte sponte moueris ad herbariæ medicinæ simplicis & hortensis cognitionem adipiscendam: vt tibi imprimis, deinde tuis, M. Catonis exemplo, [sicuti paulò pòst audies] commodè, &, si quando vrgebit occasio, Hippocrati nostro præceps & lubrica nuncupata, ex tempore, consulere, ac salubriter prospicere queas. Hoc sane tam præclarum tuum institutum simul atque fama mihi nunciauit, imò veró, vbi res ipsa ipsa coram mihi indicauit, & familiari tuo colloquio aperuit, iam inde cogitare non cessaui, quonam modo hac in parte, qualicunque studio meo, & industria prodesse tibi possem: Tibi, inquam summopere mihi amico, & veteri meo συμμαθητῇ, cùm prima in mathematicis disciplinis hic iaceremus fundamenta, sub eximio & incomparabili viro O R O N T I O F I N AE O, Regio illarum professore & illustratore vtrique nostrum amicissimo. Itaque dum in eam cogitationem & diu, & multum incubuissem & ferè succubuissem, quod nihil in toto inopiæ meæ cornu & chartacea supellectile se offerret tuo dignum desiderio & iuuando instituto proprium, factum est tandem, vt quod diuum promittere nemo audebat, sicuti canit poeta, voluenda dies nobis daret vltrò. Quid illud est, inquies? nimirum Hortulus hic medicus. Eo etenim duce, ceu herbario quodam Theseo, & medico προδρόμῳ, ac pædagogo, facili manu, faciliore comitatu, ac facilli

medi-

medicæ doctrinæ colloquio deduceris per omnes hortensium plantarum & arborum familias. Hic vbi & paucis & accuratè doceberis. Quid valeat quæque, & quem morbis præbeat vsum. Illo itaque, tuo Hortulo, Vir prudentiss. salubriter & fœliciter fruere, aspirante cœlesti Aesculapio, sine quo est omnis medicina venenum. Cuius immensa bonitas faxit, vt Xeniolum hocce nostrum, nouo & ineunte hoc anno, antiquorum more, tibi candide & ex animo oblatum, gratissimum fuisse percipiamus: *Auspicio fœlix totus vt annus eat.* Lutetiæ, Calend. Ianuarij, Anno Domini, 1574.

ANTONII MIZALDI IN ALEXIKEPVM, SEV AVXILiarem & medicum Hortum, Prolegomena.

VITAE humanę auxiliatrix illa & morborum medicatrix Officina, Grecorũ antiquissimis Ἀλεξίκηπος, nobis adiutorius opifex, & salutaris Hortus nuncupata, animum meũ in admirationem curæ diligentiæq; maiorum mirum in modum agit. Qui nullo testudinis aut lyræ sono, vt olim Orpheus & Amphion, vsi, sed operosa animi & corporis contentione, peruigiliq; studio, longinquas syluas, & arduos monteis inuiósque saltus in oppidis & rusticis tuguriolis, habitare coëgerunt. Quod tum maximè contigit, quando mortalium generi saluberrimas & beneficentissimas plantas ac arbores à noxijs & maleficis secretas, posita omni feritate agresti, cicures ac domesticas reddiderunt: hoc est, à syluis & montibus, vbi alendis duntaxat & stabulandis feris, nidulandisq; volucribus & stabant & cadebant, in vitæ vsum & alimoniam hominum, paulatim ad vrbanos & rusticos hortos ædibus vicinos (ne longius posthac esset eundum) ceu aurigæ quidam, ὀυρανόθεν, hoc est, è cœlo missi, deduxerunt, & diligẽti cura, cultuq; industrio, pueris ac senibus familiares reddiderunt. O terque, quaterq; beatos homines: qui Herculeis armati viribus,

Hortus humanæ vitæ auxiliatrix officina.

Priscos coegisse syluas, rura, & montes in vrbib. habitare, & quonámodo

bus, & Nestorea præditi sapiētia, nihil intentatū, inexpertumque esse voluerunt, nihil denique occultatum, & opertū quod posteritati profuturū agnoscerent: Hinc scilicet hortorum inenarrabilis ille prouētus, & hortensiū cōmoda mille, mille iuuādi arteis, seu vitę subsidia spectes, seu morborum remedia, ad hæc vsque sæcula, ceu per manus patrum in filios, & filiorum in nepotes, natorùmque natos, & quot quoc nascētur ab illis, immensa Dei Opt. Max. bonitate, tot iam labētibus annis fœliciter processerunt, procedentq́ deinceps, nisi hominum obstiterit vecordia. An verò nos tot opes & tātam à tantis viris, tanto labore partam, & veluti hæreditario iure nobis relictā possessionem, comparatamq́ fœlicitatem ex innumera illa hortensium remediorum materia, abscondemus, nepotumq́ nostrorum vitam etiā alienis bonis, nedū nostris, turpiter & iniquè defraudari patiemur? Ita sanè maiorum inuenta & bona publicæ vtilitati inuident, qui posteritatis immemores sibi duntaxat viuūt, sibi solis sapiūt, & hac vitæ vsura, cochlearū more fruuntur: sæua, ita me Deus amet, mercede, aduersus illos qui de obscurissimo fumo perspicuam lucē eis dederūt, & de asperis mōtibus, opacisque nemoribus, ceu de terræ stercoribus, gēmas & preciosissimū aurum, gratis, sed non absque puluere & sudore, eruerunt: non alio sanè animo, nec spe alia, aut concepto voto alio, nisi vt tantorum bonorum particeps fieret posteritas, eademq́ maneret cura nepotes. Ne itaque in hac dijs & hominibus exosa ingratorum cymba me nauigasse obijceret posteritas, ego toto vitæ meæ curriculo manibus & pedibus omnem moui lapidem, vt studiū qua-

Priscorū geoponicorum mira diligentia in iuuanda posteritate.

Nepotes laborū & fœlicitatis maiorū participes fieri debere.

Hęc videant βιβλιοφύλακες vel potius βιβλιοτάφια, nostri temporis.

ſecunque meum & pertenuem induſtriam in Rei publicæ vſum & commodum, pro mea Mineruula, ſedulo conuerterem: & quę pręcioſa, à Deo imprimis, deinde à maioribus meis, & me doctioribus viris accepi, ſanè quàm libĕter in commune bonum proferrem. Qua in re, cùm ego hactenus totus fuerim, & mira voluntate, animíque propenſione adhuc ſim, & in poſterum, ſuperis fauentibus eſſe mediter, vel neglecta valetudinis & fortunarum mearum iactura, quæ in dies graue hinc mihi facit negotium, ecce, medicum hũc Hortulum publicæ vtilitati offero & depromo. Haud ignarus non defuturos qui illum ſuperciliosè ſint excepturi, & fortaſsis ſuperciliosiùs lecturi, ad hunc, demorſo labro, obmurmurantes modum: Vah quid iſti venit in mentem velle hodie morborum remedia per tot annorum centurias in hortis ocioſè iacētia, & animalium, hominumque pedibus vbique concul cata, vigente medicaminũ omnis generis tanta copia, ſuſcitare, & reditura commonſtrare? Non illud eſt, inquient, irridere, & vnà oleum ac operam ludere? Sanè, & ſi anceps eſſe ſciam ac lubricum rerum omnium cùm nouarum, tum renouandarum propoſitum videaturque hocce inſtitutum arduum, & quæſtuoſo iſto tempore admodum operoſum, nihilominus tentandum venit: quid enim tentaſſe nocebit, tam grãndi & ſalutari vitę pauperum& populariũ emolumento, ſeu præſentes morbos abigere ſatagant, ſeu inſtantes auertere? Quibus per rei familiaris anguſtiam & prementem inopiam, liberũm non eſt medicos accerſere, & ab illis ad quæſtuoſos pharmacopolas, quoties libet, diuertere. Precium itaq; operæ facturũ me putaui, ſi in pau-

Autoris mira voluntas & par animi in commune bonũ iuuandum.

Moroſorũ, calũniantiũ, & inuidorũ plena omnia.

Pium valde opus & vtile pauperes iuuare.

pauperum & popularium gratiam demonstrarē morborum remedia & vitę auxilia, ex eorū Hortulis & viridarijs, statim ac facilè posse cōparari: Adhæc, vt cuique manifestum facerem, quòd

Multa renascentur, quæ iam cecidêre: cadentq́;
Quæ nunc vsus habet medicamina: si volet ille,
Et ratio: quibus est & vis & norma medendi.

Omniũ rerum statæ sunt vicissitudines.

Cæterùm, institutum hocce nostrum nec nouum nec inauditum esse fatebuntur, qui vel legerint, vel saltem audiuerint herbariā & hortēsem medicinam omnium primā à Pythagora & Democrito integris voluminibus descriptā fuisse: & ab eodē Democrito ab Aegyptijs acceptā, Hippocrati amico & σύγχρόνῳ suo cōmunicatam. Quę, vt inuentis hominum paulatim locupletaretur, autores sunt Herodotus, Strabo, Plutarchus, & alij, piaculum olim fuisse, ægrotos in publicum stratū, Aegyptiorum more, delatos pręterire, nisi priùs à prætereunte nunciatum esset, quibus herbis & auxilijs simili correptus morbo ipse vel alius sanitatem recuperasset. Addam ex Pausania, fuisse in Epidauro lucum Aesculapio, successori Apollinis in arte medēdi, sacratū, in quo templū erat rotundum, marmore candido elaboratum, & columnis quamplurimis suffultum, in quibus tum virorum, tum mulierum Aesculapij auxilio sanatorum, nomina insculpta erant: & insertum quo quisq; morbo laborasset, & quibus signis deprehensum id esset, quibúsue herbis, remedijs & curationis methodo progressum. Quam methodum aiunt Hippocratem, conflagrato templo, in Aphorismos, sententias et artē digessisse. Hinc nimirū, & ex eo tēpore apud varias genteis templa

Herbaria medicina omnium prima.

Aegyptiorũ mos.

Aesculapij templum in Epidauri lu co quorsum institutum & conditū.

Quorsum Aesculapij templa in medijs vijs condita.

Aesculapio in syluis & medijs vijs extra vrbeis passim condita esse leguntur. Quæ, per deos immortales, quid aliud significauerũt quàm prisca et prima morborũ remedia non fuisse in vrbibus & officinis, sed in agris & syluis, vbi νοσέοντος καὶ ἀλεξίμορος ille implorabatur, et ægrotãtibus eò tendentibus, vel, eorũ gratia, alijs, quid agendum foret, opportunè suggerebatur? Næ, syluæ, inquit Plinius, horridiorꝗ naturæ facies medicinis nõ carent: sacra illa parente rerum omniũ nusquam non remedia homini disponente. Quæ quidẽ remedia summo studio, vt pręmonuimus, & accuratissima diligentia, à priscis operũ naturæ scrutatoribus indefessis & cultoribus excellentissimis, tandẽ ex syluis & montibus, horridiore naturæ facie, ad vrbanos & rusticos hortos, Deo Opt. Max. viã monstrante, fœliciter concesserũt & cõmigrarunt.

Medicaminum plena omnia.

Romanos & alio, diu absque medicis, sed non sine medicinis vixisse.

Quis, obsecro, inficias iuerit populũ Romanũ annis sexcẽtis & ampliùs, gentiũꝗ millies millena millia, à mundi exordio salubriter longæuã ætatem vixisse absꝗ pharmacopolis & medicis, sed non tamen absꝗ medicina? Quæ, vt simplex erat & suauis, ita inuẽtu & paratu facilis, quia altilis, vernacula & hortensis.

M. Catonis Brassica medica.

Quis nescit Marcum illũ Catonem, triumpho, cẽsura, & literarũ claritate insignem, herbis quas plantauerat, et maximè hortẽsi brassica vsum, se, coniugẽ, filiũ, necnon libertos & familiares ad longæuam senectutem incolumes perduxisse?

Antonij Castoris Hortus medicus.

Quis non legit Antoniũ Castorẽ, cui Plinius in herbarũ cognitione omnia, exceptis paucis, fatetur se debere, tanquam ei cui summa esset autoritas in ea arte, plantas quamplurimas in suo horto habuisse & aluisse, quarũ subsidijs illęso sanitatis robore cen-

tesimum transegit annũ, ac ne ętate quidẽ memoria aut vigore cõcussis. Nónne Sabinus Tyro librũ κηπουρικῶν, id est, hortensium, edidit, & tuendæ valetudini Mecœnati dicauit? Num Valgius Romanus, & Pompeius Lenæus Põpeij magni libertus, herbariam medicinam è bibliotheca Mithridatis à Pompeio deuicti comparatam, Romanis exhibuerunt? Si antiquiora exigis, consule Marc. Varronem: ex illo statim audies sapientissimum illum & eloquentiss. Nestorem (qui Troiani belli temporibus ante Romã conditam annis trecentis, vel ampliùs, sub Dauidis tẽpora floruit) ἀλεξίκηπον, id est, auxiliarẽ et medicum hortũ habuisse, eúmque eleganti carmine descripsisse. Fuit itaque hortensis medicina antiquissima, &, Senecæ amplissimo testimonio, olim paucarum herbarum scientia. Quæ deinde in tam multiplicem varietatẽ peruenit, posteaquam multos & varios dubiosq́ morbos, multa, varia & dubia fecerunt fercula, certo ac merito luxurię supplicio. A quo immunes erant, qui nondum se delicijs soluerãt, & qui sibi imperabant, sibi ministrabant, & simplici, tenuiq́ victu vtebãtur. Qui postquam cœpit non ad tollendã famem, sed potiùs irritãdam quæri, & hinc mille sunt inuentæ cõdituræ quibus auiditas excitaretur, tũ miserabilior valetudo, vita & facies ex his, quã ex frugalitate & simplici victu emersit, multoq́ miserabilior ad posteros trãsitura est, nisi voluptatibus vltra modũ concupitis frenũ iniĳciãt helluones, terræ & maris vastatores. Quorũ tam varios & multiplices morbos, ecquid, obsecro, miraberis, si coquos diligẽter numeraueris, eorumq́ artificia sedulò obseruaueris? quæ, & medicorũ, & pharmacopæo-

Nestoris Hortus auxiliaris.

Cur medicina olim pau carũ herbarum scientia in tantam varietatem venerit.

Coquos cũ suis varijs artificijs, morborum variorũ autores esse.

rum

rum multas, iure bono, hinc alunt familias. Sed quò, instituti mei oblitus, digredior? Redeo itaq; è diuerticulo in viam, & hortensem medicinam priscis Romanis summo in precio habitã, repeto. Apud quos, cùm annis à condita vrbe D C, & amplius, vt antea scripsimus, obuijs vlnis, quod aiunt, excepta fuisset, eamq; omnium diligentissimè excoluisset Marc. Cato vsq; ad annum vitæ suæ 85. (ne quis illi tempora ad experiendum defuisse existimet) tandem crescente cum imperio opulentia, & omni gulæ ac veneris scelerata vbique licentia, è medio hominum cœtu abire, & longè exulare coacta fuit: accersitis ex eo tempore, cùm nauibus, tũ equis, ex Asia, Græcia, Aegypto Sicilia, Arabia, Massilia, et alijs exteris nationibus, medicis quibuscunque: contra Marci Catonis oraculum Marco filio, longè antè, ad hunc enunciatũ modum: Hoc puta vatẽ dixisse, Quandocunq; ista gens, Marce fili, (de Græcis loquens) medicos suos hic mittet, omnia corrũpet. Iurãrũt enim inter se, barbaros omneis (sic enim Græci alias à se nationes nuncupabãt) necare medicina: sed hoc ipsi, inquit, mercede facient, vt facilè disperdant. Id quod multorum exitio tandẽ contigit. Cum enim hi fata regere crederentur, Romã ingressi, imperia sanè quàm sæua exercuerũt, et hinc Plinio ansam præbuerunt scribẽdi, medicinam artium omnium vnam esse quæ imperãtibus imperet, ac homines impunè occidat. Videbamus, inquit ille, consulares senes hybernis ægros algoribus, in lacus demersos ad stuporẽ vsq; rigentes: eoq; cæcitatis tum ventum fuit (perinde atque hodie) vt quibuscunque se medicos, vel de nomine, aut habitu, opinióve profitentibus, statim

Vnde priscæ medicinæ hortensis fuga & exiliũ.

M. Catonis oraculum de exteris medicis.

tim crederetur: cùm in nullo mendacio periculū vllum ſit periculoſius. Hi itaq; vt nouitate quadam, ſicuti in medendi arte à pleriſq; fieri ſolet, famam aucuparentur, cœperunt illico hortēſeis materias et medicinas publicè damnare, irridere, & inflatis buccis vſq; ad nauſeam deſpuere. Quas vt prorſus perderent, & ad templum obliuionis perpetuò relegarēt, quæſtuoſiſsimas officinas, & pharmacopolia, in quibus, vt ſcribit Plinius, ſua cuiq; homini venalis promittitur vita, barbaris & inauditis medicamentis, ac nomenclaturis ſuperba & illuſtria paulatim ſecū deduxerūt & introduxerūt. Quæ iam inde radices adeò propagarunt, & artifices ſuos tam lōgè & latè ſparſerunt, vt hodie de illis meritò dici poſsit, *Quis enim non vicus abundat?* In his nemo non videt innumeras pyxides argenteo nitore decoras: capſulas miro artificio picturatas, & vaſcula ſanè quàm elegantia, ſed quæ alicubi nunquam vel orientem, vel occidentem Solem viderunt, & perquàm rarò aperta fuerunt: Vt taceam indicibilia artificia, inexplicabilesq; miſturas et compoſitiones, quas ſolis hominum ingenijs cōſtare, vel antiqua Plinij autoritate, certum eſt. Non fecit, inquit, ille, cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota, & id genus alia, parens illa & diuina rerum artifex omnium Natura, officinarū & auaritiæ commenta ſunt. Nā Naturę opera ſimplicia, abſoluta atq; perfecta gignūtur. Perperam itaque faciunt, qui neglectis ſimplicibus naturæ bonis, vltrò ac liberaliter nobis oblatis, & abſq; magno artificio, ſumptu, fuco, labore & apparatu abſolutis ac ſuauibus, ad externa & lōginqua remedia cōpoſita, dubia, ingrata, nauſeabunda, incognita, et ſæpe-

Quando & quomodo hortēſis medicina è medio hominū ſublata fuerit.

Pharmacopoliorū magnus vbique numerus.

Artificia & compoſitiones pharmacopœorum, vnde.

Simplicia priora compoſitis, & ob id præferēda.

sæpenumerò suspecta confugiunt. Quibus comparandis, & vitæ & fortunarum alea, sanè quàm incerta, lubrica & momentanea.

Impiger ad Græcos, Mauros, Babylonas & Indos,
Velis ac remis pharmacopola volat.

Quod quàm temerè fiat, ex Plinio audire graue non sit. Nos, inquit, Indicarum, Arabicarumque mercium, aut externi orbis medicinas nequaquã attingimus. Non placent remedijs tam longè nascētia, quæ nobis nō gignuntur, imò ne illis quidem, alioquin non venderent. Audis summi viri sententiã longè antiquissimã de exoticis & barbaris medicamētis: quæ hodie apud multos tanti fiunt, adeóque probantur & placent, vt malè sarta putetur esse vita, & corporis valetudo parũ firma, nisi barbaris & sæpenumero adulteratis medicamentis, magnoque emptis & suspectis, miserrimè delusa fuerit. ô quantũ est in rebus inane. Hinc scilicet, vlceri admodũ paruo & leui morbo medicina è rubro mari ac nouis insulis accersitur: cùm vera & neutiquã suspecta remedia, vt ille idē testatur Plinius, pauperrimus quisque cœnet, ac pedibus suis in proprio hortulo, vel agello, quotidie conculcet. Hæc si ita sunt, vt re vera esse cōstat, quis, per deos immortales, non dicat stultum, imò verò insanũ esse, longiùs quærere quod ante pedes iacet, sumptuque periculoso ac dubio id comparare, quod sæpenumero impostura & veneficio constat? Multò itaque tutiùs fuerit, vt scripsit ad Antigonum regem Diocles Carystius medicus ab Hippocrate fama & ætate secundus, & à Galeno tantopere commendatus, ijs vti quibus delinqui facilè nō potest. Ex quorum numero

Longè petita & nascentia, non debere remedijs placere.

Barbara medicamenta suspecta.

Vera remedia in hortis pedibus calcari.

Dioclis aureum hoc Opusculum a nobis haud ita pridē in lucē venit.

rō ſunt, vt ille idē tradit, beta, aqua mulſa incocta, malua, rumex, mercurialis, & omnia melle cōdita: cuncta enim hæc alui deijciunt ſedimina. Arcades, vt autor eſt Plinius, medicaminibus nequaquā vtuntur, ſed lacte circa ver: ꝙ tunc ſuccis maximè turgeāt herbæ, medicenturꝙ; vbera paſcuis. Bibunt aūt vaccinum, quoniā boues omniuoræ ferè ſunt, & ob id tunc tēporis medicatum lac habent. Hinc ſanè haudquaquam temerè factum crediderim, quòd gentes pleræꝙ; Maij menſis butyrum diligenter ſibi comparēt, & ad multos vſus diligentiùs condant ac reponant. Dic, amabo te, non ſumma eſt cæcitas peregrinis & incertis ita ſubſcribere, vt tua certa & probata negligas? Non deridenda, vel potiùs commiſeranda eſt amentia, dum tibi ſcire non libet, quid ſaluti tuæ cōducat, alienis pedibus ita ambulare, alienis oculis ita inſpicere, auribus alienis ſic audire, aliorum manibus ſic omnia accipere, & de aliorum præſcripto ac iudicio ite pēdere, vt tibi prorſus aliena ope, arbitrio ac volūtate, miſerrimè ſit viuendum & moriendum? Siccine vitæ & morborum patria ſubſidia in hortis deſpecta iacebunt, ac ſi duntaxat ventri ſaburrando, oculis paſcendis & naribus recreādis, à rerum omnium parente Deo, & ei ancillante Natura (quā iuſtiſsimam vbiꝙ; noſter nuncupat Hippocrates) vltrò & data & oblata eſſent: aut alēdis tātùm vermibus, erucis, limacibus & araneis nata? Quid hoc, quæſo, conſilij & prudētiæ eſt, ægrotos toties repetitis pharmacis, viſu, guſtu & olfactu, imò verò auditu, & ſolo nomine iniucūdis, moleſtis, ac nauſeā mouētibus, excarnificare, quos ſemel, vel iterū ſimplici herbula hortēſi, à morbo iucūdè, tutò

Animalium lac vere nouo medicamentoſum eſſe.

Miſerrima eſt vita, quæ pendet ex aliorum ope & arbitrio.

Pulchra & notatu ſanè quàm digna.

Dubia & suspecta, pro certis vsurpanda non esse.

Remedia & rerum facultates ex farragine et miscellaneis scriptorum æstimari nō debere.

tutò ac citò possis redimere. Nō mera est stupiditas, dubia & suspecta ita persequi, sic ꝓbare, amplecti & ambire, vt certá, extemporaneá, et omni tempore vigentē domi tuæ medicinā pro nihilo ducas? Medemur, scilicet, aliena fide, & famā exoticorum medicamentorū autoritate nescio qua, varijsq́ rerum (quas vix clitellatus veheret asellus) miscellaneis & centonibus, multiplicíq́ ingredientium, vt dici solet, farragine ostētationis plena, ceu quodā aucupio venamur. Quasi verò facultates rerum aceruatim congestarū, & veluti geomanticis punctis, fortuitò ab ostētatoribus, veriùs quàm doctoribus plerisq́ scriptarum, ex eorū cadāt arbitrio. Scrupulatim, inquit Plinius, colligere ac miscere rerum vireis, non coniecturę humanæ est opus, sed impudentiæ. Quid illud quod Hippocrates in quadā epistola ad Crateuā herbarium & ῥιζοτόμον suum scribit, incertam esse coniecturam eorum qui in purgationibus etiam cautè procedant. An quòd nullum sit medicamētum purgans, quod non aliquam partem de viribus nostri corporis & substātia eius deprędetur?

Aureæ Auicennæ, Hippocratis & Platonis sententiæ.

Hinc Auicenna rectè dixisse mihi videtur, quòd medicinas bibere, etiam si venenosæ non sint, tamen naturæ laboriosum esse solet. Cui Plato suffragatur ad hunc scribens sensum, Nullo modo sanæ mentis homini suscipiēda est illa medicorū purgatio, quę pharmacis, id est solutiuis medelis (præsertim violentis) fieri cōsueuit. Morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis temerè irritādi nō sunt. Hæc dum audit, amice lector, sollicitè

Autoris monitio & consilium pro pauperibus

quæres ecquid in tā dubio & ancipiti pharmacorum casu & vsu, seriò ac tutò tibi agendum sit: Fruere priscorū salutari more: elige ex tuo hor-

tulo & agello medicas materias tibi notas ac fa-miliares, apud te natas, tecũ educatas, maioribus tuis assuetas, patriæ probatas, & sub eodẽ cœlo, in eodemq; aëre & natali solo tecum degentes, ac simili genio gaudentes. Quarũ copia, vbi visum erit, & quoties desideratum tibi fuerit, recens ac vegeta, illico, ne longiùs sit eundum, & expectando languendum, cõparari poterit. Fallax est medicus, inquit Arnaldus à Villanoua, aut ignarus, qui quærit inusitata & rara, cùm possit communibus subuenire languenti: addit, quòd prudens & pius medicus, morbum in primis expellere satagit medicinalibus cibis, potius quã puris medicinis. Sunt autẽ medicinales cibi, qui in hortis apud nos vigent & nascuntur. Irride itaq; barbarorũ medicamentorũ vanos ostentatores & impostores. Exsibila exoticorũ pharmacorum præcones, & eorundem, ad nauseam vsq;, helluones. Quibus nihil potest placere nisi quod Indiam sonet, Hesperiam resipiat, Aphricã agnoscat, & nobis opposito Antipodum mittatur ab orbe. Vis audire quid Andreas Matthiolus Dioscoridis interpres diligentiss. de exoticis & barbaris medicamentis senserit? Animaduertendum, inquit, quòd hoc æuo sincera haud facilè inuenias medicamẽta quæ ex barbaris, & omnium maximè ex Alexandria Aegypti, & Syria, ad nos conuehũtur. Si quidem cùm omnia per Mauritanorũ, Turcarũ, Iudæorumq; manus transeant, qui nobis Christicolis semper dolos fraudesq; moliuntur, Dijs sacrificiũ facere sibi persuadent, si nos in re quapiam fallere & inficere possint. Subsanna igitur eos qui peregrina φάρμακα, tum simplicia, tum cõposita, cum suis barbaris nomẽclaturis ad miraculum

& populari statu ægrotãtium.

Arnaldi à Villanoua sententia summè notanda.

De exoticis & barbaris medicamentis, Andr. Matthioli opinio præclara.

culum vsq; extollunt & prædicant. Quæ, reuera quandoq; expiatione plus indigēt, quàm vt corpora ritè expiare & purgare queant. Sanè si patres nostri circunspectè & æquis animis admisissent ac sustinuissent, non nouas inquam, & ex nouo orbe aduenas medicinas, sed veteres & hortenses hospites postliminio sese recipientes, sentiremus vtique non vulgarem vtilitatem, & minimè suspectam ex harum reditu. Agè itaq;, vernaculas opes, & auita hortorum tuorum remedia, nequaquam obsoleta, putria, arida, & à soricibus, araneis, vermiculis, tineis, blattis, muscis, marcore ac situ minimè vitiata, & cum eis rixādo totum quandoque quinquennium, vt fieri solet in quibusdam pharmacothecis, nusquam versata, externis, & huius plumæ alijs, senio, vetustate, & longæua repositione exsuccis, corrugatis ac toto corpore flaccidis & emaciatis, constanter oppone & præpone: ac priscam illam hortensem medicinam extemporaneam, recentem et fidam, è tenebris in apertam lucem promoue, obsidem redime, exulantem reuoca, & iacenti, opémque poscenti, manum libenter porrige, vt resurgat & veterem possessionem suam opportunè repetat. Et vt idem faciant noti, propinqui, familiares & amici tui omnes, contende, insta, & pro viribus adnitere: illisq́ue propone verissimum esse Fabij Quintiliani illud, *Vsitatis tutiùs vtimur, noua non sine periculo vsurpamus*. Cogita ea remedia optima esse, q̄ pluribus cognita & probata sunt, qualia esse diximus hortēsia, non minùs alimētis & medicamētis hodie, quàm olim, & nata, & exposita: nam, si nescis, *Antiquis escas hortus dedit & medicinas*, vt autor est poëta herbularius. Sed illis

Peregrina pharmaca expiatione indigere.

Quantum differant hortensia remedia & auxilia ab alijs.

Exhortatio ad hortensem medicinæ vsum.

Pharmacopolia & pharmaco-

tamen

tamen sic vtaris velim, vt ne extranea remedia ad vnguem nota, selecta, & longo tẽpore explorata omnino reijcias: nec pharmacopolia & pharmacopœorum artificia spernas ac prorsus inutilia esse cẽseas. Quæ valde probamus, & summoperè laudamus modò nacta sint doctos, peritos, fidos, & cordatos artifices, probis materijs instructos, & in vtraq; pharmaceutices parte diligenter versatos: &, quod summum est, qui caritatem ex animo amplectãtur, & fugiant nomẽ auari. Quod sua benignitate faxit cœlestis ille Aesculapius, sine quo est omnis medicina venenum: & qui de se, veriùs quàm Apollo apud Ouidium, dicat:

pœorum artificia & materias ab autore valde probari, & qualiter.

Pia & religiosa prologi huius conclusio.

Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis:

Nec temerè, mea quidẽ sententia: scripsit enim Iesus Syrach inter Hebræos prudẽtissimus, & diuino præditus spiritu; παρὰ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ γὰρ κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα: quod sonat, ab altissimo est medicina, creauit etenim Dominus pharmaca è terra. Quod lõgè ante Moses Hebreus scriptor, omnium eorũ qui extãt antiquissimus, etiã testatus est, dicens, Deum Opt. Max. herbas ac plãtas è terra condidisse, vt ijs propagata ab Adamo soboles terrestris cõmodè & salubriter vteretur ad propulsandos morbos. Cui subscribit Theodoretus Episcopus suis in Genesim quæstionibus ad hunc loquens modum. Præuidens Dominus, quòd homines in morbos prolaberentur (vtpotè qui sententiam mortis propter peccatum receperãt) iussit terram herbas producere non tantùm esui aptas, sed etiam morbis depellendis idoneas. Verumenimuero θεολογούμενα hæc Theologis relinquemus,

Cur phãrmaca ab altissimo è terra creata.

quemus, & coronidem hisce προλεγομένοις imponemus: vt quod medicorum est promittant medici, & tractent fabrilia fabri.

Hæc itaque in medicum Hortulum vtcunque præfati ad auxiliares rerum illius facultates calamum conuertemus, vbi primùm ipsius Hortuli, ceu de tabella, formam, & quo illum digesimus modo in proprios campos & congeneres areas, ordinem tibi proposuerimus, & alphabeticum, vt loquuntur, Indicem rerum in eo describendarum seriatim subiecerimus. verba itaq; sic in rem ipsam conferimus.

HORTVM MEDICVM IN CAMPOS vel regiones octo, proprijs areis discretas, quo sequitur ordine dispofuimus

CAMPVS primus olera aquot cibaria, decem areolis hac serie complectitur.

1 Lactuca.
2 Brassica.
3 Petroselinum.
4 Portulaca.
5 Beta.
6 Blitum.
7 Oxalis.
8 Spinacea.
9 Borrago.
10 Asparagi.

CAMPVS secundus radices aliquot esculentas, quatuor areolis concludit.

1 Porrum.
2 Cepa.
3 Allium.
4 Raphanus.

CAMPVS tertius herbas odoratas XI. areolis distribuit.

1 Saluia.
2 Hyssopus.
3 Satureia.
4 Maiorana.
5 Fœniculũ. 6 Mentha.
7 Thymus.
8 Ocimum.
9 Orualla.
10 Rosmarinus.
11 Lauendula.

CAM-

CAMPVS quartus herbaceos & fruticeos fructus VI. areis continet.

1 Cucurbita.
2 Cucumis.
3 Pepo, melo & melopepo
4 Cinara seu alticocalus.
5 Fragaria & Frabœsia.
6 Grossula.

CAMPVS quintus flores aliquot, tam odoros quàm inodoros, IX. areolis disseminat.

1 Rosa.
2 Lilium.
3 Leucoion.
4 Viola Martia seu purpurea.
5 Veronica altilis, seu Oillbetum.
6 Phlogium, seu Pensea & Bellis,
7 Iris.
8 Amarantus.
9 Solsequium.

CANPVS sextus plantas XI. non esculentas, areis totidem recipit.

1 Absinthium.
2 Abrotonum.
3 Ruta. 4 Vrtica.
5 Plantago.
6 Artemesia & Tanacetũ.
7 Chelidonium.
8 Mercurialis.
9 Parietaria.
10 Malua.
11 Lathyris seu Cataputia. & Ricinus, seu Palma Christi.

CAMPVS septimus pomiferas arbores 13. totidẽ areis implantat hac serie.

1 Malus & eius pomum.
2 Pyrus.
3 Cotonea.
4 Prunus.
5 Cerasus.
6 Morus 7 Persica.
8 Mespilus & Sorbus.
9 Citria malus.
10 Aurantia & Limonia.
11 Punica malus.
12 Ficus.
13 Olea.

CAMPVS octauus arbores nuciferas & bacciferas VIII. areis totidem imponit hoc ordine.

1 Iuglans & eius nux.
2 Amygdalus.
3 Pinus.
4 Corylus & auellana.
5 Castanea.
6 Laurus & eius baccæ.
7 Iuniperus.
8 Sambucus & Ebulus.

Plantæ & frutices in summa. LVI.

Arbores & earum fructus, XXIIII.

INDEX ALPHABETICVS PLANTArum & Arborum, quarum facultates in hoc Alexikepo describuntur.

Poma

FINIS INDICIS.

ANTONII MIZALDI
MONLVCIENSIS, MEDICI,
ALEXIKEPVS, SEV AVXIliaris & medicus hortus.

Cur à Lactuca incipiat hæc medica historia.

INSTITVTI nostri fores aperiet vna Lactuca. Non quòd ei olerũ & hortorum principatum velim ascribere, contra M. Catonem & Plinium: qui illum, vt suo dicemus loco, Brassicæ constáter adiudicant, quin potiùs, quòd sciam Lactucam salubrem & euchymam esse plantam inter omnes hortenses, & ob id benedictum olus, ab Auicenna appellari. Qua dote & priuilegio, certum est illam priscis vsque adeò placuisse, & tanta cura excultam fuisse, vt ab ea Lactucinos in Valeria familia, Plinio autore, cognominari non puduerit. Illa, illa est qua D. Cæsar Octauianus Augustus, in lõga & ancipiti ęgritudine, consilio Antonij Musæ medici excellentissimi, conseruatus fuit. Vnde statuam collato ære iuxta signum Aesculapij, Suetonio Tranquillo atteståte, promeruit. Sed prætermisso lactucæ verbosiori encomio, medicas eius vires, pro nostra tenuitate in medium proferre, & hortulum nostrum per suos cãpos areatim distinguere aggrediamur.

Lactuca à morbo D. Augusti nobilitata.

HORTI

HORTI MEDICI CAMPVS PRIMVS, OLERA ALIQVOT cibaria, decem areis complectens.

Lactuca altilis, & medica eius auxilia.

AREA I.

OLeris nomine hîc complectimur plantas eas hortenses & herbaceas, quę non solùm condiendis iusculis accommodari solent, sed etiam paruo sumptu & facili apparatu in vsum cibarium pauperibus quotidie venire, siue in acetarijs, siue aliter id fiat. Quomodo vsurpauit Horatius, ad Sæuam in hunc scribens modum: Quid per olus hic intelligendum.

Si pranderet olus patienter, regibus vti
Nollet Aristippus: si sciret regibus vti,
Fastidiret olus, &c.

Sed hæc Grammaticis relinquemus, & medici medica lactucæ presidia tractabimus: quam norũt omnes in historijs versati, vsqueadeò priscis Romanis fuisse commendatam, post D. Augustũ per eam sanitati restitutum, vt seruari, etiã in hybernos menses, ex oxymelite repertum sit. Planta est admodum salubris, sicut testatur Columella in suo hortensi carmine, de illa propter seruatum principem Augustum ita canens, Lactuca plãta salubris.

Iamq; salutari properet lactuca sapore,
Tristia quæ releuat longi fastidia morbi.

Huius succus febricitantis fronti illitus somnum accersit, quemadmodum scripsit Florentinus, rerum agri & medicinæ interpres Grecus ad vnguem factus. Qui etiam tradit eum, qui ieiunus Febris, somnus, ebrietas, venus, gonorrhœa, alui fluxus

nus lactucam prægustauerit, ebrietatem non sentire: adhæc, semen eius tritum & potum, genituræ effluuia cohibere: quapropter aduersus crebra Veneris ludibria in somno, vtiliter propinatur: sicuti vulgari hoc iactatur disticho,

Semen lactucæ Veneris ludibria tollit,
Cum vino bibitum, fluxum quoq; comprimit alui.

Quod equidem distichon esse astruimus Macri poëtæ & medici non indocti: quem multi, hocce Ouidij dimetro, eius Ouidij σύγχρονον fuisse, & sub D. Augusto vixisse, falsò contendunt,

Sæpè suas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer.

Sed his dimissis, lactucam repeto, quam idem Florentinus tradit, stragulis suppositam, ægris nescientibus, hac præsertim ratione, vt ante Solis exortum sinistra manu radicitùs euulsa sit, somnum illis conciliare. Qui etiam accersetur, eodem autore, si folia quina, terna, aut vnum, ceruicali clanculum supponantur: sed ita, vt quę imo caule decerpta fuerunt, ad pedes: summo verò, ad caput spectent. Admonent insuper Græci geoponici, quòd effusus & assiduus lactucarum vsus, cane peius & angue fugiendus est his qui procreandis liberis operam dare solent. Nam fœcunditatem non modò minuere scribunt (vnde lactucam εὐνούχιον, hoc est, spadoniam vocauerunt Pythagorici) sed quos postea sustulerint partus, velut amentes, ineptos ac stupidos à progenitorum ingenio degenerare promittunt. Hactenus illi: à quibus ad nostros deficio Medicos, apud quos etiam lego, lactucas somnos conciliare, ac sanguinem neque improbum creare, neque vndique

Somni conciliatio.

Lactuca cur fugienda cōiugatis.

Hæc videant lactucarum helluones.

vndique perfectum, multò tamen, quàm à cæteris oleribus, præstantiorem. Quæ duo, Eobanus Hessus poëta elegantissimus, pulchrè expressit in libello de tuenda valetudine, hunc in modum.

Hortorum lactuca decus, quia friget & humet,
Sæpè leueis somnos conciliare solet. Quale gignat sanguinẽ lactuca.
Atque vt corporibus reliqua omnia vincit alendis,
Sic viui succus sanguinis inde venit.

Hinc factum arbitror, vt Galenus illam de oleribus solam, in homine temperato euchymam esse dixerit, hoc est, succum bonum gignere, & optimum corpori alimentum sufficere. Quæ, vt calidis ventribus sumpta mirè auxiliatur, ita vsu crebro, oculorum aciem retundit, ac caliginem, vt mox scribemus, inducit. Addo quòd suspiriosis, & sanguinem excreantibus, ac pituitosis summè nocet. Præterea, quòd tam crudæ, quàm coctæ vsus largior, non minùs est periculosus quàm cicutæ. Aestate ea vtimur vt medicamento, potiùs quàm alimento: nimirum ad humectandum & refrigerandũ: nam frigida est, ac humida. Quod cùm ita sit, iure quis dubitet, quomodo probum & purum sanguinem in nobis possit gignere: substantia, inquam, nostræ familiari, quę illi planè est lactea & dulcis, adhęc moderatè cocta, & proinde in sanguinem promptè ac facilè mutabilis, quãobrem etiam lac affatim gignere solet. Prodest eadem aduersus morbum præcipitẽ & periculosum, quem Gręci χολέραν vocant, ab immodica bilis deiectione & implacabili vomitu. Cuius rei testẽ proferemus antiquissimum poëtam & medicum Quintum Serenum.

Ventres, caligo, asthma, hæmoptoë.

Lac & cholera morbus.

Noxia

Noxia (inquit) si penitus cholera sæuire venena
Perspicies, cocta lactucæ fronde leuabis:
Proderit & caules assumere sæpè madentes.

Lubricã aluum quomodo faciat lactuca.

Aluum ideò lubricare dicitur, quòd humiditate & frigiditate sua immoderatum hepatis calorem temperet: qui ob celerem & vehementem cibi ac potus distributionem, & direptionem, aluum resiccare plerunque solet. Huius lubricationis & facilis per lactucam ad excremẽta vacuanda apparatus, testem etiã citabimus Martialem hunc in modum scribentem,

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, &c. Et alibi:
Vtere lactucis, vel mollibus vtere maluis,
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Quomodo visionẽ turbet lactuca, & oculis noceat.

Visionem præterea turbare fertur, vt nunc dicebamus, & oculis nocere, eisq; caliginem inducere, quòd spiritus visorios denset & incrasset, humoremq; crystallinum, videndi speculum summè tersum, turbidum reddat, & animalem spiritum sua frigiditate offendat, nisi calorificis herbis illi remistis, vel rebus aromaticis, aut generoso vino superepoto, frigiditas ea temperetur. Nam ex Hippocrate, frigidum cerebro, spinali medullæ, neruis, ossibus, ac dentibus summè inimicum esse solet: ex quo fit vt soporifera etiam censeatur esse lactuca, sicuti suprà à nobis adnotatum fuit, & Claudiĩ Galenum sua experimento confirmasse intelliges. Pleriq; (inquit) lactuca vtuntur prius quàm in caulem assurgat, aqua ilobrẽ ex suis lam incoquentes. Quod ego nunc, ex quo dentes mihi malè habent cœpi facere. Quidam meorum sodalium conspicatus olus id iam olim ab adolescentia

Quomodo vtebatur lactuca Galenus, & quam ob rẽ ex suis Alimentorũ libris & alijs.

lescentia mihi esse consuetum, nunc tamen ipsius esum esse permolestum, autor mihi fuit vt ipsum coquerem. Aetate autem iuuenili cùm mihi ventriculus assidua bili infestaretur, cruda lactuca, vt eum refrigerarem, vtebar. Cùm verò ad ætatem declinantem perueni, hoc olus fuit mihi remedio aduersus insomniam & dormiendi impotentiam. Tunc enim, contrà ac in iuuentute, somnum mihi dedita opera conciliabam: nam graue erat præter voluntatem vigilare. Quæ res mihi accidebat, partim quòd in iuuentute meaptè spōtè vigilijs, studiorum gratia, assueuissem, partim quòd declinantium ætas ad insomniam sit admodum propensa. Itaque, lactuca vespere in cœna, vel somni hora, cocta & commansa, vnicum mihi insomniæ erat alexipharmacon, & remedium. hactenus Galenus: ex quo hanc historiam, quòd pulchra sit, præsenti loco accommodare visum fuit. Veteres initio mensæ, primísve epulis, lactucam, vt solemus, non proferebant, sed postremis: sicuti Martialis hoc disticho eleganter expressit:

Galenus vigilijs assuetus.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic modò cur nostras inchoat illa dapes?

Quòd, nec temerè, nec citra rationem factū fuisse audies: cùm enim lactuca frigidæ humidæq; sit naturæ, si à cœna sumatur & summis epulis inijciatur, somnum efficaciùs conciliat v niq; fumos halituosos promptiùs reprimit, ac ebrietati, inducta cerebro humiditate, faciliùs pugnat & obsistit. At nostra ætas, ab eius esu cœnas & prādia auspicari salubriùs esse duxit, ex aceto, sale, & oleo conditā illam cibis alijs pponens, nimi rum

Cur postremis epulis olim sumebatur lactuca.

rum vt æstuantem ventriculum recreet, & sopitam per calores appetentiam excitet, sanguinisque feruorem temperet, ac hepatis & cordis æstum mitiget. Ex quo mirum non est, si ebrietati aduersatur, & capitis grauitatem, quam Græci apposito vocabulo καρηβαρίαν vocant, insita frigiditate sanat, vapores à nimio vini potu sursum elatos, & caput grauantes, retundendo ac discutiendo. Quod Q. Serenus Poëta ac medicus præstantissimus non omisit, hunc in modum scribens de curanda ebrietate.

Capitis grauitas & ebrietas.

Quidam lactucæ huic credunt prodesse sapores:
Curandi modus hic, & suauis, & vtilis idem est.

Inde factum crediderim, vt lactuca à Rufo Ephesio Medico, ἀκραιπάλη, rectè nuncupata sit: quòd crapulam arceat, & omnem capitis noxam à vino contractam excutiat. Verumenimuerò, ea cautè vtendum est, nam illius vsus immodicus, vt præmonuimus, Veneris ignes extinguit. Quare his qui matrimonij capistris sunt alligati, parcus ac sobrius debet esse lactucarum cibus, nisi calorificis, vt eruca, nasturtio, mentha, sampsucho, et similibus, frigiditas illarum obtundatur, aut generosum vinum aliquod superbibatur. Qui verò cœlibatui addicti sunt, sacerdotes, monachi, vestales, & alij qui claustra sequuntur, calorifica excludere debent, vt pudicitiã illæsam tueantur, & prurire, vrique desinant. Lactuca itaque consulto priùs cuiusque temperamento, prudenter vtendũ erit, in qua Callimachus ἀλληγορικῶς scripsit, Venerem suum amasium Adonin abscondisse, ὅτι ἀσθενεῖς πρὸς ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι, hoc est, vt Athenæus exponit, quòd imbecilles sunt ad Venerea, qui assidua vtuntur lactucis. Quare videant

Quibus prohibeatur & concedatur lactucæ vsus

deant vxores ne earum mariti nimiùm illis vtantur. Hîc non tacebo rarum experimentum & sæpenumerò mihi fœliciter probatum aduersus albas mulierum fluxiones, quod constat cremore seminis lactucæ priùs macerato in aqua extinctionis chalybis, addito puluere eboris in tenuissimum pollinem redacto: Non tacebo prætereà, quòd semen lactucæ in iusculo tritum & haustũ, dormiendi impotentiam expugnat, & folia in aqua hordei cocta, lac potu mirandum in modum augent, si posteà mãmæ blanda manu fricentur. Addam, quòd si vehementer caput incaluerit ab ęstu, & hinc doluerit, aceto miscebitur succus lactucę, & eo fouebitur, monitore Galeno. Et ad ardores ac ambustiones, folia diligentissimè terentur, & cum pane inducta, parti affectæ admouebuntur, ac subinde commutabuntur, ne ibidẽ incalescant & obrigescant. Sed de medicis lactucæ facultatibus hæc satis erunt, vbi admonuero quòd tam manducata, quàm admota, æstus, necnon ardores internos & externos, vt diximus, clementer mitigare & restinguere solet. Cuius rei gnarus Antonius Musa D. Augusti medicus incõparabilis, ad desperationem redactus in curanda distillatione, qua optimus ille imperator, ob vitiatum iecur, vehementissimè torquebatur, cõtrariam medendi rationem inire fuit coactus, & ad lactucæ præsidia confugere, sicuti paulò antè adnotauimus: quorum auspicijs conualuit Augustus, & hinc lactucam summè nobilitauit.

Albę mulierum fluxiones, vigiliæ, lac, capitis dolor, ardor & ambustio.

Aestus tã interni, quàm externi.

Lactuca ab Augusto nobilitata.

Brassica, & medica eius auxilia.

AREA. II.

NON sum nescius optimũ illum, sine æmulo, agricolam M. Catonem, triumpho, cẽsura,

ſura, ac literis inſignem, oleribus omnibus Braſ-ſicam antepoſuiſſe, & Plinium hortorum principatum eidem aſcripſiſſe, adhæc Pythagorã eius laudes ante omneis celebraſſe, ac Chryſippũ medicum, priuatum volumen per ſingula hominis membra digeſtũ, de eadem compoſuiſſe, ipſumq; Catonem eius facultates & medica auxilia ſummoperè nobilitaſſe, populoq; Romano adeò fœliciter indicaſſe & præſcripſiſſe, vt annis multis abſque vllis medicis ac medicamentis alijs ſalubriter vixerit: Verumenimuerò omnia hæc, magna licet, me mouere non potuerunt (ob cauſas paulò antè memoratas) vt in hac medica hortenſium hiſtoria, braſsica ante lactucam deſcriberetur. Quæ vna, ob inſignem truncum & brachiatas virgas, etiam Caulis nomen ſibi aſciuit, & nunc demùm nobis medicè excutienda venit: ſumpto initio à priſcis M. Catonis de illa experimentis aliquot. De ijs itaque quibus ægrè fluit lotium, & ſubſtillum eſt, hũc in modum ſcribit. Sumito braſsicam, cõijcito in aquam feruentem, coquito paulìſper, vti ſubcruda fiet: poſtea aquã defundito, non omnem, eò addito oleum & ſalem, ac cumini paululum, inferuefacito paulìſper, poſteà inde iuſculum frigidum ſorbeto, & ipſam braſsicam manducato, ac quotidie id facito. Ad omnes tumores & omnia vlcera, etiam inueterata, braſsicam contritam, quæ minutis eſt caulibus & folijs tenuioribus (Crambem vocãt) ille idem imponi, ac eodem præſidio cancros purgat & ſanos reddit: quod facere non poteſt, vt ſcribit medicamentum aliud. Verùm, priuſquàm imponat, aqua calida multa lauat, aut vino tepido, vt legit Macer, poſteà bis in die, contri-

Braſsica à priſcis valdè cõmendata & laudata.

Subſtillũ ſeu ſtranguria, tumores vlcera & cancri.

contritam admouet. Quo remedio etiam ad luxata & contusa, mammasque vlceratas & cancrosas vtitur. Si vlcus acrimoniam ferre non possit, farinam hordeaceam miscet, ac ita apponit, testaturque articularem morbum nulla re æquè domari atque brassica cruda, si eam concisam cū ruta & coriandro quis edat: aut salis mica & hordei farina mista, opportunè illinat. Quod herbularius Poëta versibus aliquot complexus est de M. Catonis brassicaria medicina, hûc in modum loquens,

Luxatā cōtusa, mamæ vlceratæ & cancrosæ, necnon articularis morbus.

Hordea quam dederint cauli miscere farinam
Idem præcepit, rutam quoque cum coriandro
Et sale permodico: sic omnia mixta terendo
Apponi diræ docuit cataplasma podagræ:
Hoc etiam morbo medicabitur articulorum.

Si auribus parum audies (inquit ille idem Cato) cum vino brassicam terito, succum exprimito, & tepidum in aurem instillato, citò intelliges. Si bilis atra est, si lienes turgent, si cor dolet, si iecur, pulmones, aut præcordia, vno verbo omnia sana faciet brassica, quæ intus dolitabunt. Qui plura curiosè scire curabit, librum de Re rustica eiusdem consulat, illic inueniet quod placuisse queat. Sed hæc, inquies, magna ex parte non quadrant nostræ hortensi brassicæ, de cuius vsu hodierni medici inter vtrunque volant. Causam alibi accipies. His sic positis, venio ad geoponicos, apud quos lego brassicę decoctū cum dulci vino haustum, mulieribus menses ducere: adhæc succum eiusdem cum optimo melle remistum, oculos iuuare, si illorum angulis admoueatur. Quòd si venenatos boletos quis ederit, poto brassicæ

Surditas, bilis a.ra, lien, cor, iecur, pulmo, præcordia.

Menses, oculi, boleti.

ſucco valdè iuuabitur. Addunt præterea quod corpori alimentum ex ea multum præſtari ſolet: adeò, vt pueri braſſica veſcentes, citius adoleſcere credantur. Succus cum vino albo ad dies quadraginta hauſtus, ſplenicos & ictericos curat, quemadmodum in Ruſticis paradoxis ſcripſit Paxamus Græcus. In quibus non omittit quòd braſſica alumini rotundo, aceto macerato permiſta, pſoram ac lepram mundat: coctaque & præſumpta, voci atque arteriacis affectionibus medetur. Vnde vocis ſtudioſi hac libentiſſimè vti ſolent. Folia perinde atque ſemen, cum ſylphio & aceto trita ac impoſita, morſum canis rapidi, vel alterius, perfectè ſanant. Et ſi contigerit à deſtillatione vuulam aut columellam in guttur laxari, ſuccus crudæ braſſicæ ſummo capiti admotus, illam in ſublimem oris partem reuocabit, ſolitumque locum repetere coget, quod naturæ arcanis & ſecretis aſcribendum eſt. Hactenus Græci geoponici. Medici vno omnes ore tradunt, braſſicam frequenter comeſtam ſuccum melancholicum plus iuſto augere, cuius ſubſtantia os ventriculi etiam lædit, & viſum, vt mox dicemus, obtenebrat: quare illa, niſi vrgente oleorum meliorũ penuria, menſis excludenda eſt ſalubribus. Crudus eius ſuccus cum vino potus, viperarum morſibus auxiliatur, & cum fœnigræci farina illitus, podagris, ac vitijs articulorum præſenti eſt remedio. Idem prodeſt ſordidis ac vetuſtis vlceribus, ſed impermiſtus: qui etiam naribus immiſſus caput purgat, & cum loliacea farina pudendo muliebri inditus, menſes trahit. Folia per ſe illita, aut cum polenta trita, conferunt inflammationibus ac tumoribus, & ex ſale carbunculos rũpunt fluen-

Splenici, icterici, pſora, & lepra.

Canis morſus, & laxata vuula ſeu columella.

Succus melãcholicus, os ventriculi, viſus, viperarum morſus, & articularis morbus.

Vlcera, caput, menſes, tumores, carbunculi, capilli vlcera, lienoſi, gangrenæ & laterum dolores.

fluẽtesq; capillos retinent. Eadem folia cruda, ex aceto prosunt lienosis, & addito melle cocta, plurimùm pollẽt aduersus vlcera depascentia & gangrænas. Virentes cauliculi cum radice cremati, & vetusto porci adipe excepti, diuturnos laterum dolores mitigant. Quod poëta herbularius nec ignorauit, nec omisit:

Cum veteri pingui (inquit) cineres caulis bene triti,
Prosunt ad veteres lateris, coxaq; dolores.
Sit licet hæc vilis, tamen est medicina salubris.

Si humentem aluum siccare volueris, vbi mediocriter ebullijsse videbitur brassica, priore aqua effusa, repentè aliam calentem ei inijcies, atq; ita rursus illã discoques, vsquedum tenera, flaccidaque euaserit: quod non fit cùm ventris subducendi causa sumitur. Hinc emersit Salernitanum illud, Quomodo coquenda brassica ad mouendam aluũ, & continendam.

Ius caulis soluit, cuius substantia stringit.

Hæc omnia, & plura, versiculis aliquot paulò elegantioribus, Eobanus Hessus, pulchrè & ingeniosè sic est complexus,

Brassica ventris onus bis cocta, comestaq; sistit.
Sed semel & modicè cocta, resoluit idem.
Profuit hanc succo conspergere pinguis oliuæ,
Lac auget, multùm seminis esse facit.

Non putaui hoc loco prætereundũ, quòd omnis brassica, vt diximus, oculis admodũ officit. Quæ res lucubrantibus, & literarum studiosis est imprimis notanda. Parum nutrit, & somnia terribilia parit, ob humorem melancholicum, cuius parens, vt monuimus, illa esse solet. Porrò, scitu indignum non est, quòd Athenis olim brassica in cibo parabatur puerperis, amuleti cuiusdam vi- Lac, sperma, oculi, somnia.

ce, vt autor est Athenæus. Tradit præterea Suidas, priscos in conuiuijs crambem adhibuisse, sed recoctam, adeò vt nauseam adferret, ex quo Græcis in prouerbium abijt, δὶς κράμβη θάνατος Inest brassicæ vis peculiaris contra ebrietatem: cuius noxas non solùm antè cibum & à cibo sumpta impedit, sed etiam crapulam & grauedinem indè obortam tollit ac discutit. Cuius rei duos è multis testes proferemus, Marcum Catonem imprimis, hominum, vt scribit Plinius, in omni rerum vsu summum & maximum. Si voles, inquit, multum in conuiuio bibere, cœnareque libenter, crudam brassicam ante cœnam esto quantùm voles ex aceto: & item vbi cœnaueris, esto quinque folia, reddent te quasi nihil ederis ac biberis, bibesque quantum voles. Testem dabimus secundum, Cl. Gal. scribentem folia brassicæ, calida aqua macerata, & capiti circumposita, ebrietati naturaliter resistere: quod mirabili fit oleris huius cum vino antipathia, vt admonuit Agrius apud M. Varronem. Ex quo non temerè scripsisse mihi videtur Athenæus, vineas in quibus nascuntur brassicæ, languidius vinum creare, vsque adeò his pernicialia sunt cum parente & filio, hoc est cum vite & vino, odia, ac dissidia. Hinc nimirum Theophrastus, viuã vitem, oleris huius odore fugari, rectissimè adnotauit: & Plinius, vinũ in dolio huius sapore & odore corrumpi: sed betæ folijs demersis restitui. Quo argumento, Androcides sapientia clarus, vt idem tradit Plinius, brassicam cõtra ebrietatem, vt præmonuimus, maximè pollere dixit: atque hinc Aegyptij vini, vt scribunt Suidas & Athenæus, magnoperè amantes, omnibus esculentis coctam brassicam olim in cibatu præ-

Ebrietas, crapula & grauedo.

Mira brassicæ odia cum vitibus & vino.

Aegyptij vini amantes.

præmittebant, & primum in sympoſijs ex eius olere ferculum faciebant, ad inhibendam vini noxam & crapulam, quod de ea quæ plus cæteris rubeſcit multi capiendum cenſent. Aegyptiorum veſtigijs, defixo (vt aiunt) pede, cùm alij, tum præcipuè Germani & Flandri inhærere mihi videntur: braſſicam ſuis cibis & menſis anteponentes, & quandoque poſtponentes, vt doloſas vini inſidias fallant: quod & manu liberali propinare conſueuerunt, & impigro gutture haurire, laborum alioquin patientiſſimi, ſed ſitis admodum impatientes. In quam rem cum noſtro Geruaſio Maſtallero Briſgoico, Germano mihi amico vndequaque erudito, ſic ludere aliquando ſolebam dum nobiſcum ageret,

Germani laborum patientiſſimi, ſed ſitis impatientes.

Germani varios norunt tolerare labores:
O vtinam poſſent tam bene ferre ſitim.

Quæ reſtant animaduerſione digna ſunt. Cinis caulium braſſicę & eorundem decoctum, caput à furfuribus emundat, ſi illis abluatur. Et fotus vberum ex iuſculo braſſicæ tepido, lac auget: cinis præterea cum albumine oui, ambuſtis auxiliatur: & aqua quæ ex eius caule, dum aduritur, ſtillat, recẽtes impetigines delet, non ſecus quàm cortex radicis oxylapathi præmanſus, & eiſdem illitus. Addam quòd braſſica cum tenui polentæ polline trita, & ex aqua roſacea oculis appoſita, calidas illorum fluxiones emendat: & ſi folijs coctis actuſis fæcem aceti addideris, crudorumque ouorum lutea duo cum pauco roſaceo, & omnia accuratè miſcueris, tepefeceris, admoueris, continuè mutaueris, præſtantiſſimum experieris remedium aduerſus podagræ inſultus & ac-

Furfures, lac, ambuſta, impetigines oculorum fluxiones.

cessiones. Eadem brassica per se, vel cum axungia
Phlegmone erysipelas, trita, phlegmonis induratis & erysipelatibus valde idonea censetur esse, hoc modo: Partes affectæ rhodelæo fouentur, & materia dicta, in cataplasmate fascijs alligatur. Nihil video superesse in hac medica brassicæ historia, nisi ingens & minimè vulgare naturæ miraculum, quòd tacendum non est: nempe hoc olus, quo vitem fugari diximus, cyclamino & origano aduersum, perarescere: naturali & occulto odio, quo plantæ illæ brassicã non minus prosequuntur, quàm vitem & vinum brassica, & contra.

Vinũ brassicæ cocturam impedire.

Hinc absurdum videri non debet, quòd si feruescenti & ebullienti brassicæ, paululum vini generosi guttatim quis instillauerit, non amplius coquetur illa, sed suis viribus defuncta, mutato colore corrumpetur, quẽadmodum adnotauit Paxamus ex Græcis geoponicis vnus.

Vinum & ebrietas.

Quibus ex rebus apposite colliges, eos qui vinum multum bibere volunt, & potandi certamine victores coronari cupiunt, crudam brassicam cibis anteponere debere, ne temulentia vt paulò antè diximus, tententur. Quod se præsente factum fuisse à quodam docto & philosopho homine, autor est Gulielmus Gratarolus medicus præstantissimus, in libro de tuenda valetudine.

Historia notatu digna, nõ imitanda.

Nam dum is in in conuiuio accumberet, ꝓbatis & acceptis inuitantium omnium poculis, perstrenuè potauit: quòd foliolum crudi caulis rubescentis præsumpsisset. Hæc de brassica satis, vbi addidero, illam nascentem in locis aridis & siccis, terrestrem esse valde & adstringentem: in calidis verò & humidis, contrà. Adhæc Raphanum Græcis etiam κράμβη dictum, iisdem viribus pollere in arcenda ebrietate, quàm brassica: quem-

quemadmodum proprio loco explicabimus.

Apium hortense, seu Petroselinum, & medica eius auxilia. AR. III.

Apium satiuum, Græcis σέλινον, (ac si lunaticum dicas, ab horrēdo illo affectu epileptico, quem, vt mox audies, accersit) vulgò Petroselinum, & nostratibus Persilium dici consueuit: cuius facultates & medica auxilia hîc nobis sunt paucis explicanda. Florētinus in suis Græcis georgicis, vt hinc auspicer, tradit Apium cum pane, cataplasmatis vice impositum, sacris ignibus mederi: eius verò decoctum, calculos insidentibus deturbare, & fotu idem præstare. Adhæc vrinæ difficultatibus, & ægrotantibus renibus, tam folio, quàm radice auxiliari. Quod ab herbulario poëta etiam adnotatum fuisse reperio, vbi de apij planta sic scribit- Ignis sacer. calculi, vrina & renes.

Prouocat vrinas hæc cruda commesta, vel hausta:
Sed magè radicum faciet decoctio sumpta:
Hoc itidem semen operatur fortius haustum.

Subdit præterea idem Florentinus, sugillata colori reddere, si eius semine decocto foueantur, mammarumque duritias, folijs attritis & impositis emollire. Plinius semen cum oui albo illitū, aut ex aqua coctum & potum, renibus mederi scribit: ac in frigida tritū, oris vlceribus prodesse: necnon cum vetere vino, vesicæ calculos frangere: quod etiam pręstat radix. Datur ictericis idē semen ex vino albo, & ijs mulieribus, quibus stati menses non procedunt. Radicibus in iusculo coctis, vel acetariorum modo ex oxelæo apparatis licebit per hyemem, veris initia, & autumni finem Sugillata, mãmæ, renes, oris vlcera, calculus, icterici & mēstrua

nem potiùs vti, quàm æstate: idque prandij, vel cœnæ principio: quoniam materias à superioribus ad inferiora, vrinam proritando, euocant, ac vehiculi modo deducunt. Sed hoc loco nequaquam dissimulandum est, quòd non solùm renibus medetur hortulanũ apium, sed etiam colicis cruciatibus & alijs qui ex flatuoso spiritu egressum non habente generantur. Præterea, quòd succus apij cum melle bibitus, coagulatum in ventriculo sanguinem, vomitu exhaurit. Et semẽ eiusdem coctum in aceto & aqua, lotium remoratũ elicit: plantaq; ipsa contusa, & in vuluam missa, fœtum cum secundis trahit. Quòd si bibatur succus eiusdem, vterus à superfluis humoribus purgabitur. Dioscorides ad nullum determinati morbi genus apium applicat, sed omnibus indifferenter inflationibus vtile esse pronunciat: sic de eo simpliciter scribens, Soluit inflationes. Tradit nihilominus petroselino vires contra colum intestinum, vt diximus, validas inesse: adhæc contra stomachum, sic loquens: Petroselinon stomachi & coli inflationibus, torminibusque medetur. Cui subscribit Galenus, tradens insuper, ori sanè quàm gratum esse. Plinius incoctum, aquas potu suauiores reddere prodit. & Florentinus Græcus, in cibo sumptum facere, vt propriæ vulnerum fluxiones magis pronæ deferantur. Oculorum tumores, vti etiam mammarum, succus eius mica panis candidi exceptus, emendare solet ac tollere. Quod non prætermisit herbularius poëta, sic de apio rursum scribens,

Colicus dolor, flatus, inflationes, sanguis coagulatus.

Lotium, fœtus, secundæ, vterus.

Inflatio & colicus dolor.

Stomachus, tormina, vulnera, oculorum & mammarũ tumores.

Illius succo si candida mica terendo
Panis iungat ur, oculis sedare tumorem.

Dici-

Dicitur, emplastri, noctu, superaddita more:
Sicq́3 ferunt mammis prodesse tumentibus illam.

Penè omittebam, quòd neutrum apium (de mare loquor & fœmina) Chrysippus medicus & Dionysius, cibis admittẽdum censent (licet Plinij tẽporibus, vt etiam hodiernis, per iura largis portionibus innataret, peculiaremq́3 gratiam condimẽtis accerseret, ex quo ἐυσόμον Theophrasto vocatur) quoniam epulis feralibus, vt volunt, dicatum sit, & ob id nefastũ habitum. Vel, vt Plutarchus scribit, quòd Apio sepulchra coronentur: vnde vetus illud prouerbium, *Apio indiget*: de eo qui desperata sit valetudine. Non desunt tamen qui de paludapio Chrysippum & Dionysium id intellexisse contendant: quia propẽsius epilepticum paroxysmum excitat. Sed hæc nihil ad apij nostri facultates. Caule fœminini vermiculos innasci tradunt: creduntq́3 eos in sexu vtroque sterilescere, qui ederint: adhæc, in puerperis comitiales fieri, qui post apij cibum vbera hauserint: innocentiorem tamen esse marem affirmant, vt Plinius scribit, veterum sententia & testimonijs fretus. Quibus ex rebus mirandum nõ arbitror, si recentiores medici, ex Auicennæ cõsilio, comitialibus seu epilepticis apio interdicant, ac contẽdãt quòd illorum paroxysmos moueat et excitet: atq́3 ea causa Græci infantulorum nutricibus, & grauidis, puerperisq́3 apium in cibo prohibeant. Quanquã alia etiam potest subesse causa, nimirũ quòd fœmininos fonticulos resiccet, lactisq́3 prouentum neget, ac vescentes ad libidinem proritet. Sed ne, quæso, hîc intactum relinquatur, quòd apium, Celso inter ea quæ repri-

Cur olim apium cibis damnatũ sit.

Sterilitas & comitiales.

Nutrices, grauidæ, puerperæ, lac & libido.

Febriles ardores. munt & refrigerant collocatum, febrium ardores ex oleo iniunctum, refrigerare, à multis non infœliciter expertum fuit. Quod etiam à Q. Sereno confirmatum ſcriptúmque audies ad hunc modum:

Sin autem calidæ depaſcent corpora febres,
Tunc apij ſuccus leui ſoluatur oliuo:
Membra line, fotuq́; ferus mulcebitur ignis.

Cætera de apij facultatibus conticebo, niſi quòd piſces ægrotantes in piſcinis, illo ſummè recreantur ac refocillantur. Adhæc quòd nihil ęquè oris ſuauitatem commendat, atque recens apium & viride commanducatum. Quod meritoriæ mulieres pleræque non ignorant, apium mandentes & circunferentes, vt virus tetri odoris, quo imbuuntur, fallant, & ſuauiorem aurã ſpirent. Hãc de apio medicam hiſtoriam penè claudebã, cùm tria percommodè mihi in mentẽ venerunt. Primum eſt, quòd apium manducandum nõ eſt vbi ſcorpionũ ictus timetur: ſicuti adnotauit Albubater ſcribens ad Almanſorem Sarracenorum regem. Secundum, quòd coci acetum ſuis obſonijs apio, & cellarij grauem odorẽ vino, in faccis eximere ſolent, Plinio autore. Tertium, quòd petroſelinum, hippoſelinum, eleoſelinum, oreoſelinum & apium ruſticum, adeò congeneres ſunt plantæ, ac tanta virium affinitate coniunctæ, vt altera alterius nomen apud rei herbariæ autores quandoq; ſibi arroget. Quod ad hippoſelinum attinet, ego ſanè illud (vt id obiter adnotem) appoſitè à Gaza equapium interpretatũ fuiſſe mihi aliquando perſuaſi, non ob inſignem magnitudinem, vt multis viſum eſt, ſed quòd equis ocioſis & de-

Oris & halitus ſuauitas.

Tria ſummoperè notanda.

& defatigatis, salubre sit ac gratum pabulum. Quod non ignorans ter maximus ille Homerus, Achillē ociosis equis legatorum Vlysis & Phœnicis, palustre apium, aut si mauis eleoselinum, quod nonnulli paludapium vertunt, nō temerè exhibuisse scribit. Cuius rei causam Plutarchus in Sympofijs reddidit, quòd vacantes à labore consueto equi, pedum vitio offendātur, cui præcipuum remedium, apium esse tradit. Quo loco illud cum eleoselino & hipposelino, ob virium & auxiliorum cognationem ac similitudinem, confundit. Hactenus de hortensi apio & petroselino; quod vnum cum vulgari apio, consentientibus vtrinque auxilijs, hic confudisse, peccatum graue non erit.

Equorum ociosorum & fatigatorū remedia.

Portulaca, & medica eius auxilia.
AR. IIII.

Portulaca ex hortensibus vna est quæ omnium ferè iuscul ls suo tempore innatat, & pauperum ac diuitum mensas, oleo, sale & aceto condita, inchoat. Frigida est & humida, quapropter fluxiones biliosas ac feruentes, commutando & refrigerando emendat, febrīq; ardente con flictatis summè opitulatur. Quod poētæ herbulario non fuit occultatum, de illa hunc in modum scribenti,

Fluxiones biliosæ & febris ardens.

Humida vis eius & frigida dicitur esse.
Vnde iuuat febrem quam dicit Græcia causum,
Trita super stomachum viridis si ponitur herba:
Præstat idem succus si sumitur, herbaq; mansa.

Dentibus qui stupore obtorpescunt ab esu acidorum, austerorum, vel frigidorum, māsa remedio

Dētium stupor, ignis

facer, Ven⁹, dio esse solet, ignibusq; sacris auxiliatur, ac Vene-
somnia, ca- ris impetus & somnia frangit. Capitis dolores
pitis dolor, insolatione contractos, cum rosaceo mitigat, &
vulnera, vm vulneribus syderatione periclitantibus, efficaci-
bilicus, den- ter cum polenta inungitur. Præterea infantibus
tes, tonsillæ, vmbilico prociduo laborantibus, salubriter ap-
gingiuæ, lũ- ponitur, ac dentes mobiles commãducata stabi-
brici & dy- lit: orisq; ac tonsillarum vlcera, & gingiuarum
senteria. tumores suo opportunè sedat succo. Animalia ventris rotunda ex decocto, vel stillatitia aqua pellit, ac dysentericos ex vino hausta liberat. Vnde idem poëta.

Sanguinis & *Mansa vel hausta potest nimium restringere fluxum*
alui fluor. *Sanguinis, & ventris largum cohibere fluorem.*

Leontinus Græcus, ex geoponicis vnus, scribit folium portulacæ linguæ subditum, his qui siti
Sitis, verru- cruciantur, bibendi desideriũ restinguere, & ver-
cæ, podagra rucas multorum dierum illitu tollere: quod etiã
& mammæ. non omisit Plinius: docens insuper, mammarum & podagræ inflammationes, succo portulacæ cum melle, aut creta cimolia, sanari. Qui frigido
Vẽtriculus. sunt ventriculo, vim portulacę frigidã, menthâ, fœniculo, aut simili quapiã herba calorifica debent obtundere. Sed, ô me obliuiosum: penè omittebam quòd portulaca miraculo quodãde-
Febris ardẽs, mulcet febres ęstuantes, trita cum hordei farina,
oris vlcera, & hypochõdrijs ac hepati admota. Adhæc, quòd
fissurę labio- melli intincta, commansa, & ore retẽta, aphthas
rum, vulne- ac oris vlcera valde emendat. Insuper, quòd sua
ra, hæmor- radice siccata, & cum melle trita in formam vn-
rhagia, spu- guenti, fissuras labiorum, partiumq; aliarum nõ
tum sangui- minùs adiuuat, quàm vulnerum dolores, si illis
nis & ventri- cum oleo & polenta imposita fuerit. Quæ si per-
culi ardor. coquatur, ad hæmorrhagias & sanguinis profluuia

nia summè efficax habetur. Postremum id erit. Experti sunt veteres, quòd succus portulacę spu ta sanguinis mirificè compescit: imò verò portulaca ipsa quouis modo ministrata. Quæ si cum aceto manducata fuerit, ventriculi ardoribus valde commodabit.

Beta, & medica eius auxilia. AR. V.

CLaudius Galenus hoc olus nitrosa facultate dotatum esse censet, qua etiam sordes eluit ac discutit: quæ vis in candida beta efficacior est, adeò vt ventrem ad excernendum inuitet, ac stomachum sensu exacto præditum mordeat & vellicet, cum nonnulla hepatis iactura. Quæ duo postrema, versiculis duobus elegantissimis sic expressit Eobanus Hessus. Sordes, ventris excretio, stomachus & hepar.

Cruda nocet beta, hanc coctam sumpsisse iuuabit:
Sumpta frequens stomachum vellicat, atq; iecur.

Diphilus medicus geoponicus tradit, beta candida altos solui, & rubra vrinas proritari. Sunt qui nigram vituperent, quòd atrabilarium sanguinē gignat. Succus naribus inditus, caput purgat: infusus, aurium dolores sedat: illitus, dentiū cruciatus compescit. Si caput succo illius deterge as & cōfrices, à porrigine & pityriasi vindicabis: & si radicis succum naribus inijcias, détium cruciatus emendabis. Si decocto perniones foúebis, eos mitigabis: si folia coxeris, ambustis medeberis. Addam quod vsus betarum frequēs nyctalopibus est vtilis: & si cum atriplice illarū decoctum vuluis ritè infundatur, earū vitia corriget. Beta nigra seu rubra coquitur cum lente lu- Aluus. Vrina. Caput, aures, dentes, porrigo, perniones, ambusti. Nyctalopes, vuluæ vitia, alui fluor.

brico

brico ventri cohibendo, quem, vt diximus, candida soluit: quæ cocta, & cum allio crudo sumpta, intestinorum tineas abigit. Iecoris obstructionibus aptiùs quàm malua accommodatur, maximè vbi cum sinapi vel aceto estur: lienosos similiter manducata, mirificè iuuat. Vnde quis eam medicamentum potiùs quàm alimentum dixerit, vbi hoc modo manditur. Menander, vnus ex schola Græcorum geoponicorum & medicorum, tradit radices betæ tostas, tetrum allij odorem ac virus extinguere, si supermanducentur. Quæ rubras vel subrubras habent radices, vt valentiùs nutriunt, ita sanguinem gignunt longè crassiorem quàm folia: illúdque insuper obtinent, quòd flatus facilè pariunt, cùm facilè per aluum alioquin descendant. Huius oleris, sicuti aliorum, exigua est alimonia: quòd si largiùs sumatur, stomachum, vt paulò antè dicebamus, infestat & mordicat. Habet tamen id commodi, quòd aquâ mulsâ incoctum, alui sedimina deijcit, vt scribit Diocles Carystius ab Hippocrate, Plinio autore, fama & ætate secundus, in aurea epistola ad Antigonum, de morborum præsagitione, signis & curatione per Hortensia. Quam nos, haud ita pridem cum Opusculo de Sena plãta omnium saluberrima, & beneficẽtissima, publicæ vtilitati exposuimus. Cæterùm hîc tacendum non est, quòd sicuti à brassica vini sapor (vt suprà docuimus) in dolio facilè corrumpitur, ita odore betæ, folijs eius demersis, facilè reparatur. Si acetum subitò facere voles, tusam betæ radicem in vinum conijcies, post horas tres in acetum degenerabit: quod si voles in pristinum statum restitui, brassicæ radicem indidisse satis erit.

Vermes, iecoris obstructio, lienosi, & flatus.

Odor alliorum.

Quale nutrimentum à beta.

Vinum & acetum.

Sed hæc ad noſtra vinorum ſecreta & auxilia releganda erant: quorum participes nunquam fient œnopolæ, niſi vina in multorum perniciem temerè confundere & perditè turbare deſinant.

Blitum & Beta cum medicis vtriuſque auxilijs. AR. VI.

STomacho inutile olus cenſetur eſſe blitum, ventrem adeò turbans, vt choleram morbũ aliquibus faciat, & alui fluxiones vomitionesq́; cum inteſtinorum torminibus, mota bile excitet: quod de immodico & aſsiduo eius vſu dictũ accipies. Vnde à Plinio iners olus ſine ſapore & acrimonia nuncupatur: & à poëta Heſſo ignauũ, ac ventri mouendo duntaxat vtile, Venter, cholera, alui fluxio, vomitus & tormina.

Ignauum (inquit) ſine honore blitum, ſine viribus, eſtur
Hoc ſolo, ventrem quòd bene deijciat.

Ab hoc inerti olere inertes homines bliteos nuncupamus. Quanquam antiqui βλίτεις dixerunt, quos Latini ſtolidos, fatuos, bliteosq́; vocant: & hinc fit, vt vulgari conuicio nullius frugis aut ingenij homines, noſtratibus Gallis blitres ac belitres, vt diximus, paſsim vocentur. Hinc etiam conuicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Blitum è vino potum fertur prodeſſe aduerſus ſcorpiones, & clauis pedum vtiliter illini: adhæc lienibus, & ipſorum dolori ex oleo. Hippocrates, Plinio autore, menſtrua eo cibo ſiſti putat. Sed hîc prætereundum non eſt, quòd priſci cum blito betam confuderunt: vnde Martialis hanc fatuam, ſeu inſipidam, hoc diſticho appellauit. Blitũ ignauum & fatuum olus.

Vt

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpè petet vina, piperq́; coquus?

cùm re vera ſapore ſit nitroſo, & non fatuo, aut inſipido, vt blitũ: quo fit vt eius ſuccus naribus exceptus, muccum & pituitam ex eis eliciat, præſertim betæ albæ. Vnum & item alterum bliti auxilium omittebam. Prius eſt, quòd aqua decoctionis eius, & maximè rubri, cum ſuis radicibus, furfures capitus amolitur. Poſterius, quòd folia ſub cineribus cocta, vel elixata, ambuſtos ſummè iuuant. Memineris quòd blitis quàm betis guſtus inſulſior eſt & humidior: vnde choleram faciunt, quemadmodum cucurbitę et pepones. Quæ dum nequeunt excitare facultatem expultricem, cunctando corrumpunt cibum, & hinc vomitiones, turbidasq́; ventriculi motiones excitant flatu multo mixto: vt doctè adnotauit Petrus Sena.

Furfures & ambuſta.

Oxalis ſeu Acetoſa, & medica eius auxilia. AREA VII.

OXalis ab acido ſucco nomen habet, vnde apud multos *Acetoſa* dici ſolet, & vulgari nomenclatura *Ozella*. Duorum eſt generum, maior & minor. Vtraque iuribus affatim innatare conſueuit, & ſingularem gratiam in acetarijs habere. Quin & carnibus intingendis iucũdum ſucci viridis accrementum ſubminiſtrat: nec aliud in obſonijs maiorem ſibi vendicat autoritatem. De oxalide id ſum expertus, quòd carnes quantumuis duras, coriaceas ac peruetuſtas, eſui aptas facit, ac tenellas reddit, ſi illi concoquantur & præma-

Oxalidis vſus ad excitandem appetentiam & alia.

præmaceratæ elixentur. Nam lubricæ & humentis est naturæ, quâ dura emollit. Quæ facultas cũ multò validior & vegetior sit in oxylapatho & lapatho, ita rem eã multò certiùs cũ illis sum asse cutus, quàm cum hortensi oxalide, quâ nihil frequentius vbiq; nec vilius, ad irritandam appetentiam, si langueat, aut mitigandum ventriculi vel hepatis æstum immodicum, si opus sit. Quod poëta herbularius nec ignorauit nec omisit, de Oxalide hunc in modum scribens,

Ventriculi & hepatis æstus.

Hanc auidè multi comedunt in tempore veris:
Expertumq; ferunt sibi quòd fastidia tollit.

Semen vtriusque tritum ex aqua aut vino, vtiliter bibitur contra dysenterias, & cœliacorum affectus, ac stomachi fastidia & nauseas. Radices ex aceto coctæ, aut crudæ illitæ, lepras & impetigines sanant: sed anteà locus aceto & nitro in sole est perfricãdus. Sunt qui planta tota efficaciter vtantur (sicuti etiam aizoo minore) aduersus erysipelata & herpetas, necnon tumores oculorum in cataplasmate: præterea aduersus calidas podagras cum polenta, & antiquos capitis dolores, cum rosaceo. Fluxum muliebrem vtero apposita, commodissimè sistit, vt tradit Dioscorides: sed non menstrua, seu lunares fœminarum purgationes, vt vult poëta herbularius. Ex quo etiam addimus quòd

Dysenteria, cœliaci, nausea, lepra, impetigo, erysipelas, herpes, & oculi.

Podagra, cephalalgia, & fluor muliebris ac ventris.

Omne genus fluxus ventris restinguere mirè
Cum vino potat a solet, vel mansa frequenter.

Decoctum radicũ eius, pruritus corporis sedat, si eo foueatur aut cõfricetur corpus in solijs balnearum: mulcet insuper dentium dolores cum vino. Nonnulli in strumis amoliendis radicum

Pruritus, dentes, strumæ & regius morbus.

gestamine vtuntur, eas collo appendentes: quæ etiam cum vino potæ, regio morbo auxiliantur. Verùm, hæc omnia efficaciùs præstare solet oxylapathi radix. Apuleius ad abscessum qui fit in inguine, oxalidem contundit absque sale, cum veteri axungia, quæ dupla esse debet ad herbam: iisque probè commixtis, pastillum concinnat, quem folio caulis inuolutum sub calidis cineribus sepelit, & mox abscessui aut buboni calentem applicat, lineóque panno tegit, & colligat.

Abscessus aut bubo inguinum.

In vino austero cocta & potata prægnantium malaciam et deprauatam appetentiam emendat: quod etiam præstat citrij decoctum. Non tacebo quòd radix aqua incocta, vel macerata, rubel li vini colorem mentiri solet, grata & salutari febricitantibus impostura. Folia papyro vestita, et sub calidis cineribus igneum teporem experta, & pauco rosaceo excepta, quosuis tumores ad suppurationem facilè mouent. Noui quendam qui omnes dysenterias in paruulis, ad hunc curabat modum. Oxalidem forti aceto macerabat, deinde stuppis eodem aceto intinctis, sub calidis cineribus modicè decoquebat, postea succum exprimebat, & calidum propinabat. Penè omiseram, quòd oxalis mirabilem habet energeiam aduersus luem pestilentem, si ex aceto macerata, matutinis sumatur horis: fœlici experimento probatum, quemadmodum in nostro opusculo de Peste non obscurè ostendimus. Verum enimuerò, nec absurdum, nec inutile fuerit hoc loco proferre quid eam in rem scripserit Ant. Gainerius Papiensis medicus de peste disserens. Acetosa, inquit, mirabilem habet virtutem aduersus pestem, sicuti ego accepi à fide digno quodam: apud

Malacia.

Tumores, suppuratio, paruulorum dysenteriæ.

Pestis & æstus febrilis.

apud quem ſæuiẽte peſte quauis, nullus vnquam locum mutauit, adiutus præſidio huius plantæ. Cuius bolum ante prandium & cœnam die qualibet ex domeſticis vnuſquiſque ſumebat: & ſi deeſſet eius copia, puluerem ex ea reſiccata, in vino albo præſumebat, vtebatúrque nonnunquam catapotijs Rufini contra peſtem. Ex quo nullus è domeſticis vnquam peſte correptus fuit. Addit ille idem Gainerius quòd oxalis comeſta, ictum à ſcorpione impreſſum non ſolum ſanat, ſed & præſumpta, vel eius ſemen, nullam noxam venenum relinquere in corpore permittit. Quod Auicenna ante eum teſtatum eſſe poſteritati etiam voluit. Hoc poſtrẽmum ſit, Noſtrates mulierculæ in febrium ardore contuſam oxalidem carpo manuum vtiliter imponunt.

Spinacea, & medica eorum auxilia.
AREA VIII.

SANE mirandum eſt, ſpinacea olera veteribus incognita fuiſſe, cùm & pauperum & diuitũ menſas onerent per verna ieiunia, ac eoſdem inferciant & ſaturent. Aluum emolliunt, & corpus humectant, flatúſque colligunt, niſi humor excremẽtitius abijciatur, & calidis rebus admotis emendetur. Cæterùm, quia in iſtorum olerũ cibaria præparatione à multis peccatur, ideo illam paucis hoc loco oſtendiſſe, inutile fortaſsis non erit. Abiectis radicum capillamentis citra aquam elixari poſtulant, nam magnam vim humoris inter coquendum effundunt, proprióque iure contenta, alienum aſpernantur: aliter ſi coquas

Alui lubricatio & flatus.

Quomodo ſint coquendã & apparanda ſpinacea.

coquas, natiuum illorum ſuccum perdis ac temerè inebrias. Abacto poſt elixationem lentore, ligneo cultrô, aut aliter, percutiuntur, & ſub inde verſantur, poſteà in manuales globos & offas herbaceas (expreſſa penitus ſanie) rediguntur, ac patinis ex oleo optimo vel recenti butyro, diligenter friguntur, addito omphacio & piperis tuſi momento, vt magis palatum titillent, & flatulētam humiditatem exuant. Sed hîc medicum agimus, non coquum: quare, quæ medicorũ ſunt promittamus, & ſua tractent coquinalia coqui.

Notanda & in vſum vertenda.

Borrago, & medica eius auxilia.
AREA IX.

Borrago, quæ verum & legitimum bugloſſum multis eſſe creditur, folijs ſuis, obſoniorum iuribus ſalubrem & peculiarem addit gratiam: eſtq; hyeme apud nonnullos eius radix, foliorũ vice, quoties anni tempus illa denegat. Flos in æſtate in acetarijs ſummè gratus habetur. Olus hoc, ſuaui ſuo odore (nam peponem iucundiſsimè ſubolet) vires recreare ſolet, ac animi voluptates, vt tradit Galenus, in vino augere. Ex quo Græci εὐφρόσυνον, hoc eſt oblectans & lætificãs, ſcitè admodum nuncuparunt: adhæc νηπενθὴς, id eſt triſtitiam diſcutiẽs. In quam rem alludit vulgaris verſiculus,

Borraginem vires ac animi voluptates recreare.

Dicit Borrago, gaudia ſemper ago.

Tradunt plantam hanc vtilem eſſe aduerſus horrores febrium, eiuſq; radicem quæ tres emiſerit thyrſos, cum ſeminibus tritam, & ex vino decoctam, tertianis prodeſſe: quę quatuor, quartanis, quod etiam confirmat Dioſcorides. Alij teſtãtur abſceſ-

Febris tertiana, quartana, abſceſſus, tuſsis.

abſceſsibus valde accommodam eſſe. Galenus illos, qui ob faucium aſperitatem tuſsiunt, decocto eius in melicrato ſummè iuuari ſcribit. Plinius addit, quòd ſi quis borragine aut bugloſſo inareſcente, medullam è caule exemerit, alligaueritq; ei ſeptem folia ante acceſsionem, à febre liberabitur. Poëta herbularius ex Arabum placitis, de Borragine teſtatur,

Febris, cholera rubra, pulmonarij, cardiaci, iſchiatici, & memoria.

Quòd choleram rubram nimio feruere peruſtam
Purgat, cum vino fuerit ſi ſumpta frequenter:
Humores nocuos pulmonis detrahit hauſta,
Mixtus aquæ tepidæ ſi ſuccus ſumitur huius.

Subdit prætereà, quòd cardiacis valde prodeſt, & ijs qui coxendicum labores patiuntur: adhæc, quòd vino ſæpè immerſa, memoriam reddit illæſam ac vegetam. Hîc non tacebo quod expertum audiui: Si mulier à partu non poteſt liberè purgari, propina illi ſuccum borraginis, porrorum & petroſelini, cum vino, vel oleo dulcium amygdalarum, & videbis rem admiratu dignã. Si addideris ſuffitum ex cornibus & vngulis capræ, vterum valde commouebis ad excludendũ excrementitias geſtationis reliquias.

Partus & eius purgatio, vterus & ſecundæ.

Aſparagi, & medica eorum auxilia. AR. X.

HIC mihi monẽdus eſt Lector, quòd Græci germina herbarum & fruticũ ante florem erũpentia, nomine largè ſumpto, aſparagos nuncupare ſolent. Sed nos hoc loco agimus duntaxat de ijs aſparagis qui ſatiui ſunt & altiles, quiq; propriè ac peculiariter id nominis ſunt adepti. Horũ cibus ſtomacho vtiliſsimus eſſe traditur: cui ſi cuminum vel aniſum addatur, alui & coli

Stomachus, inflationes alu. & coli,

vrinæ, calculus, vuluæ pectoris, ac spinæ dolor, Venus & venter.

inflationes discutiet, vrinas mouebit, ac calculos exturbabit. Sunt qui ad vuluæ dolores radicem cũ vino dulci propinent, & negent ab apibus illũ posse pungi, qui asparagis cũ oleo tritis perũctus fuerit. Plinius pectoris & spinæ doloribus summè prodesse scribit, ac Venerẽ stimulare, & ventrem leniter mollire. Sed ante alios cibos debent sumi. Vndè maximoperè peccant, qui postrema mensa illos apponunt. Dioscorides assos aut elixos, vrinæ stillicidium, difficultateḿq;, ac dysenterias mitigare tradit. Galenus verò renes ac iecur infarctu liberare, maximè radice & semine.

Stranguria, dysuria, dysenteria, renes & iecur.

Quod Q. Serenus in sua illa celebri remediorum poëtica sylua non omisit, hunc in modum scribens de lumbis & renibus sanandis,

Aut caput asparagi cum vino sume vetusto,
Seu mauis appone: modus conducit vterq;.

Vrina & dentes.

Radicis decoctum ægrè meientibus prodest, ac dentibus excruciatis medetur, si qua dolent parte contineatur. Non desunt qui canes necari scribãt, hausto asparagi iusculo. quod an verum sit, nécne, faciet experientia fidem. Cæterùm hîc nõ dissimulabo, nec tacebo, quod modicam coctionem sustinent asparagi: nam diutiùs percocti, in tabem abeunt. Ex quo Imperator Drusus, celerẽ rei successum demonstrare volẽs, dicere solebat, *Citius quàm asparagi coquantur.* Si in iure pingui elixentur, suum condimentum sic apud multos secum referũt: Si in aqua, oleo optimo, vel butyro recenti, addito sale & aceto, piperisq́; momento conspersi & imbuti, summa cum voluptate manducantur. Sed rursus obliuiscor me hîc medicum agere, non coquum.

Quomodo coquendi & parandi sint asparagi.

HOR.

HORTI MEDICI CAMPVS SECVNDVS, RADICES ALIquot esculentas, quatuor areolis continens.

Porrum hortense, & medica eius auxilia.

AREA. I.

Radices aliquot hortorum esculentas medicè hîc descripturus, à Porro auspicandum duxi: quod Sotion in suis Græcæ agriculturæ præceptis refert tritum et appositum, morsus reptilium, alio quouis pharmaco citiùs, curare: eiusq; semen cum passo potum, vrinæ difficultati mederi. Adhæc vetustis sanguinis reiectionibus opitulari, si temperato modulo cum pari baccarum myrti vel gallæ mensura, & thuris farina, opportunè ex vino, si febris absit, propinetur. Hippocrates absque vlla mistura dari iubet, vsumq; porrorum nimium & continuum prohibet, quòd oculorum aciem hebetet, ac stomachum malè habeat. In quam rem Eobanus Hessus pulchrè & eleganter allusit ad hunc modum: Reptilium morsus, dysuria, sanguis, oculi & stomachus.

Officiunt oculis capitati segmina porri,
Interiora graui viscera mole premunt.

Vsus illorum innocentior fiet, si tantùm percoquantur, vt in rabem ferè soluantur: si enim creduntur non minùs alere quàm carnes: tametsi ægrè à ventriculo conficiatur, ob fibrosum nescio quid, quod illis inest. Crudorum succus largus Plinio inter deleteria recensetur. Nam fama est, Melam equestris ordinis reū, ex procuratione à Succus porrorum inter deleteria adnumeratus.

Tiberio principe accersitũ, in summa desperatione succo porri ad trium denariorũ argenteorum pondus hausto, confestim expirasse absq; cruciatu. Porrũ ex melle tritũ vlcera purgat: & eius succus paucus cũ lacte muliebri haustus, profluuia ex abortu sedat, tussimq; vetustam curat, quemadmodum herbularius adnotauit poëta:

Commixtus (inquit) porri succus lacti muliebri,
Et bibitus, tussim fertur sanare vetustam:
Ac varijs vitijs pulmonum subuenit idem.

Vlcera, fluxus muliebris, tussis, pulmo, punctura venenata & capitis dolor.

Datur salubriter cũ vino his qui à venenatis bestiolis icti fuerunt: imò verò cum melle tritum vtiliter puncturæ earundem superponitur. Si præterea eius succo pars mellis tertia addatur, & per nares vel aures guttatim infundatur, modò id tepidum fuerit, capitis dolores frigidos compescet. Idem succus aceto exceptus, vel cum galla remixtus & fronti illitus, stillantem è naribus sanguinem sistit. Quod etiam fiet si adiecto thuris polline naribus inijciatur. Quin & thoracis vitia cum melle datus expedit. Hîc non est tacendum ex Galeno, quòd porrum acrimoniam deponit, ac minùs inflat, si bis permutata aqua coquatur, deinde frigida perfundatur: quo modo etiam fluentem aluum sistere fertur, & grauem vocem explicare, faucium asperitatem suo lentore deliniendo. Vnde & perdices (si Aristoteli credimus) porro vescũtur, canorę vocis gratia. Hinc minùs mirũ esse debet, à Nerone mansum fuisse porrum ex oleo, statis mensium diebus, ad cõciliandam vocis præstantiam, dum pro ea certaret cum phonasco: per quod tempus, nihil aliud, ac ne panem quidem, sumebat, quemadmodum scri-

Sãguis, thorax, fluor alui & vox.

Pulchra historia de Nerone.

scribit Plinius, qui de sectiuo porro id intelligendum censet: cui ille idem princeps Nero autoritatem dedit. Experti sunt nonnulli, succum porrorum ex vino haustum, lumborum dolores mitigasse, & fracturas apponendo solidasse. Quid amplius? Lumborum dolor & fractura.

Contractas vuluas succo curabis eodem:

Hocq; hausto reddes fœcundas sæpè puellas.

Dissimulandum non est ex Dioscoride, Plinio & Celso, quòd porris facultas inest adstringendi, & sanguinem, vt diximus, supprimendi: ex quo vulneribus ritè imponuntur. Quod Q. Serenus non tacuit, hunc in modum ea de re eleganter scribens, Sanguis, vulnera & lotij difficultas.

Præterea nimios reserati vulneris amnes

Fœniculi cinis adstringit, vel fimbria porri,

Semen eiusdem contusum, & ex passo, aut vino albo generoso, vt diximus, bibitum, lotij difficultates soluit, ac vrinarios meatus aperit. Et si succo porri misceatur adeps anseris, ac eo inungatur collum vteri post menstruas purgationes, contractam matricem relaxabit. Idem succus cũ aqua tepida haustus, potẽter operatur in euocãdo & ducẽdo fœtu parturientium. A nõnullis ꝑ experto audiui, quòd porri semina cum mirrha & aqua, vel succo plantaginis trita, saluberrimũ præstant auxilium aduersus excreationes sanguinis pulmonarias, vel thoracales. Et eorũdem drachmæ duæ cum granis aliquot myrti & aqua portulacæ idem operantur. Præterea vapor decoctionis foliorum porri, saluiæ & lauri ex generoso vino, per anum exceptus, & calentes herbæ ventri appositæ, eius dolores etiam colicos abolent. Quod experimẽtis multis testatum est cum Vterus, partus, sanguinis sputum. Vẽtris dolor Colicus dolor, vulua, menses, tœ-

cunditas & fluor sanguinis.

sequentibus: nimirùm. quòd succus porri sectiui cum melle vuluas purgat, & cum vino generoso haustus, menses ciet. Cibus ex illis frequenter repetitus, ad fœcunditatem prodesse fertur. Et si cum thure, aut galla teratur porrum, & eo nares inferciantur, fluentem ex illis sanguinem sistet.

Membrum fideratum.

Notatu valde dignum.

Cæterùm, si quis experiri volet num membrum aliquod amputandum, vere fideratum & sphacelismo tactum fuerit, partem eam porrorum quæ virescit, contundat, & vna nocte membro superponat. Id si postridie liuorem aut nigrorem nonnihil exuerit, significabit vitale adhuc esse, sin minùs, mortuum & iustè amputandum ne pars syncera trahatur in vitium. Experimentis multis cõfirmatum fuisse mihi fidem fecit Hispanus quidam arcanorum naturę explorator indefessus: quod posteris impertitum volui. De medicis porrorum auxilijs hactenus. Sed prius quã ex hac tabula porracea manum tollam, monuisse iucundum erit, & fortasse gratũ, quòd qui cuminum pręgustauerit, fœdum & tetrum porrorum odorem nunquam exhalabit, etiam si larga manu porrum ipsum manducauerit. nam eius esũ grauis halitus extinguitur, quemadmodum tradidit Sotion in gręcis agriculturę præceptis.

Quomodo tegatur fœdus odor ex porris.

Quomodo fiat ex vino acetum, & contra.

Hoc vnum restat ex petro Crescẽtio cognoscendũ, nimirũ quòd semen porri in vinum proiectum, efficit ne acescat: imò verò vt acetum in vinũ redeat, hoc est acorem omnem exuat. Quod experientiæ admodum facili & labore paruo ita probari potest, vt inde sequantur commoda mille. Sed indigni sunt nostrates œnopolæ, vinorum pestes, & eorundem perniciosi fucatores ac impostores, qui hæc resciant, & alia item iucunda, æquè ac vtilia.

tilia

tilia, quamplurima, in noſtris vinorum ſecretis & auxilijs deſcribenda.

Cepa, & medica eius auxilia.
AR. II.

Veteres ruſtici, vt teſtatur Columella, Cepas *vniones* nuncuparunt: quòd vno & ſingulari conſtent capite, & non pluribus bulbis aut nucleis coagmentato, vt allium. Quod nomen apud noſtrates Gallos, velut triuiale hactenus vſurpatur. Hippocrates cepam aſpectu, magis quã eſu, commendauit, viſu bonam eſſe dicens, & guſtatu malam, quia eſt mordax, ſummè calida, & æſtuoſa. Sotion Græcus agricola & medicus, autor eſt, teneriorem cepam cũ melle à ieiunis quotidie manducatam, firmitatem valetudinis cuſtodire. Id quod etiam adnotauit herbularius poëta, de cepis hunc in modum ſcribens:

- quiſquis ieiunia ſoluerit illis,
Vnaquaque die, viuet hic abſque dolore.

Tradit inſuper idem Sotion, cepas vlcera ad ſanitatem perducere, & vitiligines in Sole perfrictas emaculare, purulentiſque auribus ſuo prodeſſe ſucco. Si anginis illinantur, auxiliari ferunt: perinde atque tuſſi, modo ſub cineribus coquantur, & ex oleo comedantur. Sunt qui adfirment virides cepas ex aceto tritas & perlitas, canis morſum poſt diem tertium ſoluere: necnon in foculo toſtas, & cum hordeacea farina poſitas, epiphoris, genitaliumque vlceribus ſuccurrere: ad hæc earũ ſuccum tepidum cum lacte muliebri inſtilla tum, aurium grauitatem ac ſonitum emendare. Quem etiam ex aqua bibendum multi dederunt repentè obmuteſcentibus. Hæc omnia ille idem [illegible],

Hippocratis iudicium de cepa.

Vlcera, vitiligines, aures angina, tuſſis & canis morſus.

Epiphora, genit[illegible], aure[illegible] [illegible]

poeta

& morsus canis, - poëta versibus aliquot expressit, de cepis ita loquens,

Appositas perhibent morsus curare caninos,
Si trita cum melle prius fuerint, vel aceto:
Apponunt alij cum vino, melleq; tritas,
Transactisq; tribus soluunt cataplasma diebus.
Fœmineo lacti commistus succus earum,
Pellit sæpè graueis, infusus, ab aure dolores.
Is rursum commistus aquæ, bibitusq;, iuuabit]
Illos quos subitus facit obmutescere morbus,

Dysenterici lumborũ dolor, hydrops, lethargus, tubercula, nares & caput.

Non defuerunt qui cepas dysentericis exhibuerint, & lumborum doloribus mirifice prodesse dixerint: succumque illarum cum succo fœniculi, incipientibus aqua intercutanea laborare vtiliter propinarint. Qui vnus cum ruta & melle, etiam lethargicos excitauit: & cum passis vuis, vel fico, tubercula maturauit, & confestim aperuit. Idem naribus exceptus, caput à noxijs humoribus exonerat: & cum bõbace, in anum missus, cunctantes hæmorrhoides euocat. Præterea cepa confricata pilos regenerat, & olfacta paralyticos ac spasmaticos valde iuuat. Quæ alba est, sub cineribus cocta & multo butyro recenti excepta, vehemẽtes hęmorrhoidum dolores sedat, illis apposita. Cum sale & melle trita, & morsui ab homine vel rabido cane impresso, diem vnum admota, auxilium non vulgare adfert. Et si cum adipe gallinæ teratur, corporis rubras ac liuentes maculas obliterat, maximè faciei. Quod etiam præstat sanguis gallinæ nigræ. Eadem cepa cum sale aut melle trita callos & poros eradicat, præsertim qui de calceamentorum attritu fiunt. Addam ex Galleno, quòd qui ex vetere cepa locũ alopecia

Hæmorrhoides, paralysis morsus canis ac hominis, pustulæ, calli & pori.

Alopecia, ophiasis, part⁹ & plagæ bestiarum.

pecia

pecia vel ophiasi glabrum sæpenumero fricabit, summum illi præsidium ad pilorum generationẽ adferet. Præterea, si cepa in vino vel aqua parum coquatur, deinde teratur, & in oleo cõmuni frigatur, ac vtero emplastretur, dolores à partu relictos soluet. Et qui eandem sub cineribus coctam cum fermento & oleo liliorum subiget, præstantissimum habebit remedium ad maturandum, & emolliendum abscessus. Sed ne, obsecro, omittamus, quod cepa solo odoratu materiam multam pituitosam à cerebro elicit: adhæc quod prisci bestiarum omnium plagis ceparum succum fœlici successu instillauerunt: monueruntque cepam commanducatam, vel ex vino albo potam, tardantia menstrua accelerare, & pedum intertrigines, gallinarum pingui remisto, emendare. Qui foculo percoctam & oliuo exceptam sumpserit, morsus ac biliosas erosiones, dysenteriæ comites maximoperè leuabit: necnon seu os hæmorrhoidum labores mitigabit. Sed lucubrantibus, & literarum studijs addictis summè cauendum est, ne cepis ac allijs profusè vtantur: nam oculos vitiant, visum obtenebrant, sitim accendunt, & bilẽ exacuunt: prosunt tamen pituitosis vtcunque, & maximè hyeme. His addo, ex Galeno, quòd cum bis elixa fuerit cepa, acrimoniam deponet, viresque imbecilliores habebit, succi prauitatẽ nec retinẽs, nec agnoscens. Verumenimuerò, hoc loco valde admirandum occurrit, quòd cepa olerum omnium sola, vt tradit Plutarchus, Lunæ damna non sentit, habetque augendi & minuendi vires illi contrarias. Nam reuirescit ac regerminat decedente & senescente luna, inarescit verò ac marcessit eadem redeunte & adolescente.

Menstrua intertrigenes, dysenteria, hæmorrhoides & oculi.

Cepá habere vires lunę cõtrarias.

Atque

Atque hinc fortasse factum fuit, vt Pelusiotæ Aegyptij sacerdotes, cepas religiosè suis abdicarint mensis. Nam cùm fruges, herbæ, arbores & animalia sideris lunaris incrementa & detrimenta sentiant, sola cepa vicissitudines agnoscit aduersas. Pro coronide sit hoc. Ceparum philuræ seu tunicæ sub cineribus coctæ & tepidæ parti ambustæ admotæ, vstionis cuiuscunque dolorē ac sensum tollunt. Quod etiam præstare solet earundē succus expressus & linteolis exceptus, ac nonnihil calens per initia adhibitus. Nam acres fuligines & vstionis scintillas sub densata cute delitescētes expedit, & foras laxata cuticula abire finit. Quæ res varijs experimentis, vnà cum his quæ sequuntur probata fuit. Aperitur & excauatur alba cepa, ea parte qua radices spargit: præstantiq; theriaca succo citrij mali subacta, infarcitur, & occluso foraminis ostiolo, ipsamet particula quę derasa fuit, papiro, vel pergamena charta inuoluitur, & deligatur, tum demum sub calidis cineribus tantisper coquenda sepelitur, donec probè emollita fuerit, vt cremor ab expressione stillans excipi possit, sanè quàm vtilis his qui peste laborant: sed eos illico sudare oportet. Eadem cepa, vt prius excauata & cumini puluere saturata, cocta, & expressa, ad aurium surditatem vtiliter instillatur. Deuoratur etiam salubriter cum saccharo, aut melle, elixa, aut sub prunis tosta, miro auxilio anhelosis, asthmaticis, & tussientibus, addito recentis butyri momento. Crassior ceparum squamma, cortex aut tunica, sub feruido cinere torrefacta, aduersus antiquum capitis dolorem non temere adhibetur, indito eius frustulo calente in aurem partis effectæ, addito rosaceo & laurino

Remedia contra vstionem.

Pestis auriũ surditas, tussis, asthma & capitis dolor antiquus.

rino oleo, necnon ſuccida lana quæ totam auriculam veſtiat. Sed hæc ruſticis & media è plebe popellis, non locupletibus ſcripta ſint.

Allium hortenſe, & medica eius auxilia.

AREA. III.

INter ruris pulmentaria, & domeſtica agri præſidia, allium admodum familiare eſſe, nemo eſt rerum ruſticarum ſtudioſus qui neſciat. Hinc de Græcis geoponicis & medicis vnus Sotion tradit, allia in cibo ſumpta, vel è regione ventriculi appenſa, lumbricos expellere: & in cataplaſmate, morſis à vipera, aut rabioſo cane, mirum in modum auxiliari: imò verò ſi quis illa præſumpſerit, à ſerpentum, reptiliumque venenis tutiſſimum eſſe. Quarum rerum poſt Græcos, Arabes & Latinos medicos omnes, teſtem citabimus Eobanum Heſſum, poetam elegantiſs. de allij viribus in hunc modum ſcribentem, Lumbrici repulsum ictus rabiosi canis morsus, & aliorũ venenatorum.

Nanque venenatis melius vix vlla medentur
Pharmaca, ſerpentis illius arcet odor.

Quod etiam longè ante Eobanum confirmauit herbarius poeta, de eodem allio ſic loquens,

--manſum, vel inunctum
Curat quos ſerpens, vel ſcorpius attulit ictus.
Sanat & appoſitum morſus cum melle caninos.

Hinc verè ſcripſiſſe mihi videtur Volaterranus, ſuo tempore inuentum fuiſſe ruſticum, qui cùm ſerpentem per hiantes fauces in agris dormiendo, ignoranter admiſiſſet, ſeſe ſtatim commanducatis allijs, ceu præſenti amuleto curauit: virus tamen ac mortem, vxori (res mira) in coitu ſtillauit, ac transfudit. Ex quibus facilè colligis, Pulchra & mirabilis historia, ac nodo tatu ſummè digna.

allium

Alliũ rustico rum theriaca & vnde.

allium rusticorum theriacam appositissimè dici: quòd illo nec præsentius, nec certius vllum habeant antidotum agrestes aduersus venena & venenata omnia. In quam rem allusisse mihi videtur Virgilius philosophus & medicus arcanorũ naturæ conscius, hoc disticho,

Thestilis & rapido fessis messoribus æstu,
Allia, serpillumque herbas contundit olentes.

Acria & odorata, omnia serpentibus infensa esse.

Causa esse potest, quòd odorata omnia vermibus ac serpentibus sint valde noxia: vel quod allia defatigatos spiritus recreent, & labascentes vires firment ac sustineãt. sed versus AEmilij Macri super ea re pulchrum erit audire.

Hac ideo (inquit) *miscere cibis, messoribus est mos,*
Vt si forte sopor fessos depresserit artus,
Anguibus à nocuis tuti requiescere possint.

Suggillata, vrinæ, renes, dentes, quartana & oculi

Redeo ad facultates, & medica alliorum auxilia quorum spicata & bulbacea capitella melle subacta, suggillata delere, ac liuentia ad colorem reducere, experientia docuit: necnon vrinas mouere, vitiisque renum pugnare: & dentium dolores, ore contenta, sedare, maximè à causa frigida. His, ex Celso licebit addere quòd allium antè accessionem quartanæ manducatum, calorem mouet qui horrorem non admittit. Sed illud de multis est memorabile, vt scripsit Serapio, quòd licet sanã oculorum aciem lædant allia, nihilominus eandem humiditate vitiatam ac hebetem refocillant Cum nitro, sale & aceto inuncta, phthiriasi, seu

Pediculi, lendes, vermes, papularũ eruptiones, len-

pediculari morbo medentur: quod etiam præstant per se, tum pota, tum illita, ex Plinij & Auicennæ sententia. Dioscorides contra pediculos & lendes, cum origano vtiliter propinari tradit, siue

ue cruda, siue cocta fuerint. Absque rei alterius permistione in cibo sumpta, contra vermes prodesse, autor est Celsus: cui subscribens Rufus Ephesius addit, noua antiquatis esse præstantiora. Cum oleo & sale papularum eruptionibus profuisse testatum est: adhæc lentigenes ac lichenas emaculasse. Vetustæ tussi tam cruda, quam cocta succurrunt: sed cocta crudis vtiliora censentur, & elixa tostis, ac ita voci plus conferũt. Sunt qui pro certissimo experimento mihi nunciarunt, allia tria & cum porci axungia subacta ad formam vnguenti, summum exhibuisse præsidium aduersus tussim ex frigore contractam, quoties plantæ pedum eo vnguento, ante focum inunctæ fuerũt, & in lecto spina dorsi: verum in prandio & cœna, pectorali decocto vtendum est. Profuit idem vnguentum etiam contra febriles horrores ac rigores, sed cum supra dictis, carpi manuum etiam inungi debent. Qui allia prægustauerit, si venenũ hauriat, nihil ei incommodabit: & qui coctionis munia obire non possunt, magnas vtilitates ab allijs percipient: modo id prodiga non fiat manu: nam sic oculis impense nocerent: quod non prætermisit poëta Hessus, de allio ita canens:

Lentigines licenes, & tussis.

Tussis, febris veneuũ, coctio, & oculi.

Præterea, coctumue cibo, crudumue comestum,
Calfacit, & stomachos humiditate leuat.
Verùm oculis persæpe nocet, si copia sumpti
Multa sit, & sicca conficit ora siti.

Praxagoras aduersus morbum regium, cum coriandro in vino admiscet. Hippocrates suffitu, secundas partus euocari existimat: quod etiam testatur Plinius, apud quem secundos partus per hyperam scribi existimo. Diocles apud eundem, ne-

Icterus, secũdæ partus, nephritici, vrina & hydrops.

phriticos, si elixum fuerit, iuuare contendit vbi etiam phreneticos malè scribi arbitror. Sententię nostræ astipulatur Didymus Græcus geoponicus, tradens allia vrinā subducere, & nephritim, siue renum morbum curare. Nunciarunt mihi nonnulli certo experimento, allium elixatum, vel sub cineribus coctũ, & cum pice tritũ, omnia quæ in vulnere continentur extrahere. Adhæc, nucleos allij sua tunica exutos, & in muliebre pudendum penitiùs missos, menstrua emulgere: sed filo debent coxæ alligari, vt cùm visum fuerit retrahi possint. Addebant id iucundius & multò plausibilius fieri, allijs cum oleo de spica vel de Keir vocato tritis, & in rarum linteolum oblongi sacculi & rotundi modo conformatum, intrusis, ac in vuluam profundè pulsis, & dum licebit exclusis: sic enim cessantes menses potenter mouent, & vterum mira voluptate reficiũt ac repurgant: adeò vt hinc facta sit via nõnullis ad conceptum, longo tẽpore desperatum. Hîc non tacebo, quòd allij nucleolus decorticatus, assatus, & dẽti excruciãti appositus, illi egregiè auxiliatur, modò à causa frigida obortus fuerit dolor. Quod etiam experti sumus in radice chelidoniæ trita & admota. Præterea, alliũ cum vino tusum & percolatum, valde confert puncturæ serpentis, si illico bibatur, & acri cepa locus ictus diligenter confricetur: vel emplastrum ex allijs, folijs ficus & cumino vnà attritis, eidem superponatur. Quę res etiam locum habere poterit in alijs venenatorum animalium morsibus. Eadem porrò allia cum centaureo, vel duplici fico, ad euacuandam & exclusis aquis reficcandam aluum, hydropicis valde conferre testatur Diocles: sed certius id

Vulnus, menstrua, vterus, conceptio.

Dentes, serpens & venenata.

Morsus venenatorum & hidrops.

præ-

præstare aiunt viride allium, ex mero cum coriã- Notáda hæc
dro tritum ac epotum. In quam rem πάρεργον non antiquorum
erit poëtę herbularij versus proferre, quibus hęc experiméta.
& superiora pulchrè, sic satis, confirmat: de allio
itaque hunc in modum scribit,

Prodidit Hippocrates educi posse secundas
Fumo combusti, si vulua diu foueatur.
Praxagoras illo fuit vsus cum coriandro
Et vino, morbos sic curans ictericorum.
Cum centaurea Diocles dare præcipit illud
Hydropicis: sic humores desiccat aquosos.
Idem nephreticis elixum sumere iussit.

Sunt qui dentium dolores à frigida causa sopiant Dentium do-
tribus alliaceis bulbulis, in aceto tritis, & in den- lor, prurigo,
tium caua immissis. Alij, sola aqua decoctionis turbidæ a-
eorum os colluunt. His addendum venit, quod quę, frigidus
porrigines, ex aceto & nitro tollunt allia, valent- aer & quar-
que plurimùm præsumpta, & ore contenta, ad- tanæ.
uersus frigidi aëris iniurias, ac turbidarum aqua
rum, niualiumque incommoda. Quartanas bul-
bulus vnus, cum laserpitij obolo potus fertur ex
cutere: adhæc in cibo mistus & comminutus,
aduersus pituitam gallinarum, ac gallinaceorum
valde prodesse.

Est id de multis etiam nescire pudendum,
Quod nihil hoc Veneri gratius esse solet.

Vnde si trito allio iumentorum natura tangatur, Vrina, Ven⁹
vrinam impeditam expediri, & hinc ad Venerem capitis dolor
proritari aiunt. Si cum faba ad tabem vsque co- surditas, tus-
quatur, & tempora inde illinãtur, hemicraniam sis, suspiria,
capitisque dolores, à frigida causa, de experime- vox rauca,
to sanat: & cum anseris adipe auri instillatur, & teinesmus.
surditati prodest. Elixum, tussim, suspiria, ac & pulmonũ
affectus.

raucam vocem emendat. Quòd si pulticulæ incoquatur, aduersus teinesmon mirè confert, ac frigidis, pituitosisque pulmonũ affectibus summè auxiliatur. Porrò, Galenus tradit, bis térue cocta & elixa allia, acrimoniã deponere, sed alimentũ corpori paucissimum dare, quod ante elixationẽ omnino negabant. Abstinendum tamen præcepit non solũ à frequenti illorum vsu, sed acriũ omnium, his potissimum qui natura sunt biliosi. Solis enim qui succũ crudũ, crassum, aut lentũ aceruarunt accommoda sunt, modò opportunè suman tur. Quæ sequuntur omittenda non duxi. Prodit Didymus, Græcus rei rusticæ scriptor, vel potiùs Sotion, vt meus habet codex Græcus, tædium halitus à manducatis allijs cõciliatum aboleri, si faba cruda illis superedatur. Alij, betæ radicem in prunis tostam supermanducare, satis superq; esse putant: quo remedio virus eorum tegi, è Græcis Menander vnus pollicetur, sicuti in betę medicis auxilijs paulò antè adnotauimus. Nostrates apio viridi vastidium illud deponũt. Si voles allia habere, quæ mandentiũ halitũ nullo modo vitient, & tetrũ odoris halitũ deponãt, imò verò vt dulcia euadant, consule librũ Secundũ nostrorũ Secretorũ horti, inuenies illic quod placuisse, queat. Duo valdè mirabilia (quod postremum erit) hoc loco nõ tacebo. Prius est, mustelas & sciuros tẽtato allio dentibus, vix audere in posterũ mordere, cicuresq; hoc modo fieri. Posterius, allia arborum ramis suspensa, accedentes ad fructuum deprædationem auiculas lõgè arcere, si vera sunt quæ in Græcorum georgicis adnotauit Democritus: cum quo hanc alliorũ historiam claudimus, vt reliquis suus detur locus.

Quomodo fœdus halitus à commãducatis allijs possit emendari.

Duo pulchra & valde notanda.

Rapha-

Raphanus seu radicula & radix altilis, cum medicis eius auxilijs.

AR. IIII.

RAphanum satiuum, vulgus Gallicum *Raue*, & *Refor*, aut *Raphe* nuncupare solet: quo plerique omnes vrbani & agrestes, dum cibi fastidio vrgentur, edendi appetentiam vbique excitant, nunc per se, nunc cum aqua & sale. Florentinus Græcus in suis de Agricultura commentarijs scribit, pituitosis valde commodare, & nephreticis calculo vexatis apposité mederi: maximè si quis partem illius externam, cum vino albo & aqua coctam, vel tusam, necnon percolatã, ieiunus diluculo hauriat, & dies aliquot id facere perseueret. Vacuo stomacho ex aqua tepida offertur, vt meatum vomitibus præparet: in quam rem medici potiùs semine vtuntur, quàm carne. Si cum oleo manducetur, eructationes de ventriculo, quas solet, ciere non potest: nam eas exhalare non finit oleum. Succus ex passo potus regium morbum curat, & cum melle, tusses. Quæ res etiam suspiriosis & anhelosis concedetur. Medius apud Plinium medicus, coctos raphanos dare iubet sanguinem excreantibus. Cui sic subscribit Q. Serenus,

Appetentia, pituitosi, nephretici, calculosi, vomitus.

Icterus, tussis, suspiriosi, anhelosi & sanguinem excreantes.

Sin autem rutilus referetur pectore sanguis,
Sorbitio menthæ, raphanus vel cocta iuuabit.

Idem Plinius autor est, satiuos raphanos in posca decoctos, serpentium morsibus mederi, si illinantur: sed poscam non addit Q. Serenus, his verbis rem eandem sic persequens,

Proderit & caulem, cum vino, haurire sabuci:
Aut coctum raphani librum, tritumue ligare.

Serpentum morsus & venena.

Tradũt alij, quòd tota radix venenis vsque adeò aduersatur, vt præsumentibus ieiunis non sint nocitura. Et qui eius succo infectas habuerit manus, serpentes impune tractabit: quod credendũ potiùs quàm experiundum suadeo. Sed illud de multis videtur memorabile, quòd qui raphanũ prægustauerit, si à scorpione feriatur, citra vitæ aleam euadet: & si scorpionibus inspergatur raphanus, illos ad mortem adiget. Addunt Græci geoponici, quòd si quis à tormẽtis plagas ac vibices accepit, trito ac imposito raphano emendabit nam cicatrices ac liuores ad colorem redúcit, lentiginésque in facie delet: quartanarios liberat, si continuo vsu ventriculus in vomitiones illo effundatur. Puerperis ac nutricibus ad augendam lactis copiam efficaciter exhibetur, ructusq; primo cibo laxat, & vrinas exhaurit. Hactenus bona ex parte Florentinus, inter Græcos geoponicos & medicos summus. Hippocrates, vt medica rusticis coniungã, capillos mulierũ defluos tritis raphanis fricari iubet: adhæc super vmbilicum poni contra vuluæ cruciatus. Praxagoras iliosis dádos censet, & Plistonicus colicis. Cũ melle non solum menses euocant, sed & intestinorũ animalia detrahunt, ac anginis opitulantur, cum aceto mulso gargarisati, vt verbo vtar medico. Sed in his Galenũ audiendũ quis dubitat? Radix raphani, inquit, ex ijs est, quibus assidue vescimur, estq; obsonium magis quàm alimentũ. Scribunt multi tam cibo quã potu aduersus fungorum strangulantia pericula salutarẽ esse raphanũ. Sanguinẽ acrem & mordacẽ gignit, proindeq; biliosis corporibus obest. Sunt qui cacostomachum asserant, ac ructus ciere dicant, necnon cruditates, si coctrix

Plagæ, vibices, cicatrices, lẽtigines quartanarij, puerperæ, nutrices, ructus & vrinæ.

Capilli, vulua, iliosi, colici, mẽstrua, lumbrici & angina.

Raphani facultates ex Galeno.

vir-

virtus imbecilla fuerit. Quæ omnia intelligi debent de immodico illius vſu, eoq́ꝫ ſimplici, vel cũ pauco rerũ aliarũ cibo. Nam vt hodie eſtur, eius vires facilè obtunduntur. Quanquam paſſim hic videre licet populares, larga manu ex pauco pane, raphanis innocenter veſci. Miratur Claud. Galenus quoſdã crudas raphani radices à cœna mãducantes, vt coctionem iuuent. Quod tametſi, inquit, dicant ſe compertum habere experientia, nullus tamen citra damnum potuit eos imitari. Hinc ſanè quàm rectè poeta Heſſus ſcripſiſſe cenſetur. Summè notanda & aduertenda.

Et ſunt ante cibum qui magis eſſe probent.

Sed eam in rem audiendus eſt Leuinus Lemnius: Raphanus, inquit, quæ antonomaticè radicula dicitur, primis menſis inferri debet: ſic enim edẽdi auiditatem incitat, ac ſtomacho minus officit. Quocirca culpandi ſunt qui peracta propemodũ cœna aut prãdio eſitãt: ſic enim melius perfici coctionem ſibi perſuadent, cùm ventriculo infeſta ſit, niſi aqua ſaleq́ꝫ cõſperſa, cibo præmittatur: alioqui graues halitus, ructusq́ꝫ nidoroſos & ſuboli dos excitat. Decoctio foliorũ vtilis eſt contra obſtructiones hepatis & icterũ. Vnde prudenter facere mihi videntur, qui folijs raphani loco braſſicæ iuſcula condiunt ſua, guſtu æquè ac ſapore ex vtriſq́ꝫ admodum iucũda & ſalubria. Succus radiculæ vel oleũ ex ſeminibus eius auribus inſtillata flatus & ſibila diſſipãt: & ſemẽ ex vino albo tritũ percolatũ & potũ, non minus eſt efficax aduerſus venena, quàm theriaca. Quod in lue peſtilẽti ſæpenumero obſeruatum vidimus. Idem ſemẽ cum aceto tuſum & gãgrenis appoſitũ, illas valde emẽdat. Et ſi ex percuſſione, vel flagellatione, vibices, liuo- Hepar, icterus, aures, venena. Peſtis gangrena, phlegmone, linores, veſica, lotium, ſug-

gillata lac & dentes.

liuores aut vestigia superfuerint, delebuntur semine raphani cum melle trito & inuncto. Si cum aceto radix teratur, initiantes phlegmonas iuuabit: & si cum radice nenupharis coquatur, vesicę dolores sedabit, ac lotium promouebit, emplastri modo pubi admota: præterea si succo eius ca seus salem expertus miscebitur, suggillata oblite rabit. Addam quòd ex frequenti vsu raphanorũ, lac augetur: nec omittam Plinium tradere, raphanis acrimoniam inesse pro crassitudine corticis, ac dentibus nocere, quòd illos atterant. Est certè hoc admirabile, raphanis & vitibus odia vsque adeò infensa & pernicialia esse, vt si iuxta serantur, ad sensum diffugere videantur, occulta nescio qua naturarum discordia. Quòd si permutatis scrobibus pangantur, nullo modo comprehendent: ex quo, contra ebrietatem, medicinam esse raphanum scripserũt Græci, illum cum brassica, vt in nostris hortorũ Secretis adnotauimus, confundẽtes, & contraria facultate (quod ad vina attinet) dotantes. Nam si in dolium corrupti ac vitiati vini immittatur raphanus, & paulò pòst eximatur illud emẽdare fertur, & vitium in se contrahere. Quod contrario fit modo à brassica, quæ vino immersa, illud vitiat & corrumpit, tantũ abest vt emendet ac reparet. Petrus Crescẽtius (ne quid hîc dissimulem quod legerim, audiuerim, vel obseruauerim) tradit ex raphano acetũ fieri medicatũ hoc modo. Radices raphani siccatas in puluerẽ redigito, deinde in vas ꝙ vinum habeat, infundito, misceto, ac dies aliquot quiescere finito: sic acetum cõparabis raphanatum, ad renum calculos atterendos & deturbandos, aliáque multa, summopere vtile. Pauca restant. Fuit apud

Mira de vite & vino cum raphanis.

Vitiatum vinũ raphano reparari.

Quomodo fiat acetum raphanatum & quæ sint illius vires.

apud priscos in tanto honore raphanus, vt Moschion Græcus de eius laudibus integrum scripserit volumen. In quo illũ cæteris cibis in Græcia vsq; adeò prælatum fuisse tradit, vt Delphis in templo Apollinis ex auro dicaretur, beta ex argento, & rapum ex plumbo. Quod hisce quatuor versiculis doctè complexus est Eobanus Hessus, sic de raphano loquens, Pulchra de raphano, beta, & rapis.

Fabula narratur sacros ab Apolline Delphos
Omnibus hunc alijs præposuisse cibis:
Ex auro vt raphanum sacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuisse ferunt.

Priusquàm manum de hac historia tollam, secretum raphaninum multis experimẽtis mihi probatum & confirmatum contra nephreticos cruciatus & colicos, à calculis vel flatibus obortos, necnon ad ischurias, cãdidis lectoribus, cãdidè, vt omnia, hîc proponam: quod tam præcauẽdo, quàm curãdo summoperè efficax & salutare inueni, ac pecunia oblata multis recusaui: sic itaq; habet. Accipe corticum acerrimi raphani vnc. vnam: ossium mespilorum drach. duas: blandè conquassata macerentur horis octo in vini albi generosi vnc. quatuor, deinde percolata & modicè calentia propinentur in egressu lectuli, & eiusdem ingressu: iteretúrque potio, si opus fuerit, dosim eius augendo vel minuendo pro corporum & ætatum modulo. Non deerũt qui pro tam salutari præsidio, mihi summã sint habituri gratiam, vel potius pecuniam ingẽtem numeraturi, aut saltem munusculum aliquod missuri. Sed scitu etiã iucundum erit, quòd raphani, ebora perbellè expolire feruntur: & salis cumulos Nephretici, calculosi, colici, & vrinæ suppressio.

quantumuis ingentes, in aqueã salsuginem illicò transmutare, si illis consepeliantur: & si vino immergantur, fœtorẽ eius, vt diximus, in se contrahere. Verùm hęc extra medicum Hortum nostrũ & institutum esse videntur: sequor itaq; reliqua.

HORTI MEDICI CAMPVS TERTIUS, herbas odoratas accipiens, XI. areolis.

Saluia hortensis, & medica eius auxilia. AR. I.

NVlli, vel saltem perpauci, reperiũtur horti, tã vrbani, quàm rustici, in quibus Saluia non spectetur: sic Latinis dicta quòd saluos et incolumes seruet multos. Ex quo, rythmicus poëta quem in admirationem rapiebant tam diuinæ plantæ huius vires, sciscitatur,

Cur morietur homo cui Saluia crescet in horto?

Huic pulchra datur antiphone,

Saluia planta salutaris. *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.*

Est itaque Saluia salutaris plãta, vnde ei nomen: vt ille idẽ poëta innuisse videtur, hoc senariolo,

Saluia saluatrix, naturæ conciliatrix, &c.

Ad fœcunditatem imprimis summè vtilis censetur: ex quo Agrippa, illam sacram non temerè appellauit: tradiditq; Leænas eã quærere & manducare ad partus facilitatem. Nec omisit Aëtius quòd grauidæ mulieres, si fluidæ laxæq; sint, illâ vtilissimè vesci possunt: nam conceptũ retinet, ac vitalẽ reddit. Si mulier ſucci plãtæ huius heminã cum modico sale, quarto à secubitu die potauerit, deinde viro post horæ quadrantem sese commiscuerit, proculdubio cõcipiet, si non sunt mendaces priscorũ libri. Hinc aiunt in Copto Aegypti post sæuas pestilẽtias ab his qui superfuerũt, ad eius succum bibendum mulieres coactas fuisse,

Fœcũditas partus & conceptus.

ſe, plurimóſque fructus inde productos. Medici tradunt ſaluiæ ſuffitu, menſes immoderatè fluentes, & omne muliebre profluuiũ ſiſti, ac neruos omnes roborari: quod etiam cõtingit potu eiuſdem: nam humiditates valde exiccat, quibus illi relaxãtur. Ex quo manuũ tremoribus auxiliari fertur. His addimus, ꝙ folia potui impoſita eius prauitatem & malitiam, ſi quæ inſit, emendant. Quod vulgato hoc verſiculo etiam iactari ſolet,

Menſes, & liebre profluuiũ, nerui, & manuũ tremor.

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.

Eadem trita & venenatis morſibus ſuperpoſita, illis auxilio eſſe traditur, ac vulnerũ cruorem retinere. Etſi cum vino ſuccus eius tepidus hauriatur, veterem tuſsim & lateris dolorem compeſcit. Bibita vel ſuppoſita matricem purgat, & ſecũdas à partu remoratas educit, necnon cunctantes fœtus excludit. Potatur inſuper ſalutari hauſtu cum abſinthio ad dyſenteriam: ferturq́ꝫ mortuos partus adpoſita extrahere, & vermes aurium educere, necnon ex oleo attrita, contra ſerpentes prodeſſe. Capillum denigrat, ac tetra vlcera purgat, & cum vino menſes remoratos trahit. Teſtium præterea, & vuluæ pruritus extinguũt tam rami quàm folia, ſi eorũ decocto foueantur. Quod herbularius poëta his verſibus vtcunq́ꝫ expreſsit, de illa ad hunc ſcribens modũ,

Morſus venenati, tuſſis, vulnera, lateris dolor, matrix, ſecundæ, fœtus, dyſenteria, partus & vermes. Serpentes, capillus, vlcera, mẽſes, teſtes, vulua, & virile membrum.

Pruritus vuluæ curat, virgaq́ꝫ, virilis,
Si foueas vino, fuerit quo ſaluia cocta.
Illius ſucco crines nigreſcere dicunt
Si ſint hoc vncti crebro, ſub Sole tepenti.

Fit vinum ex ſaluia, ſaluiatum dictum, ad multa vtile & expetitum: de quo & alijs in vinis noſtris medicatis abundè ſcribimus. Tabidis pilulas ad hunc

hunc parat modum Matthiolus: Sumito spicæ nardi & zinziber. singul. drachmas duas, seminis saluiæ assati, triti, et cribrati drachm. octo: piper. longi drach. 12. & cum succo saluiæ pilulas conficito: ac manè ieiunis vnam exhibeto drachmã, eodémque modo vespere, ac postea aquæ puræ quidpiam propinato. Orpheus dare præcipiebat sanguinem excreantibus, saluiæ succũ bibendum cum melle, ieiuno stomacho, atq; hinc effrænes illius impetus ilicò cohibebat. Sunt qui in condimentis, & salsamentis vtantur saluia, vt semisopitam appetentiam excitent: maximè cùm stomachus humoribus prauis & crudis fuerit imbutus. Nolim impræsentiarum omissum, quòd saluia in hortis comitem vbiq; habere debet rutam: alioquin à serpentibus, buffonibus & rubetis vitiabitur, magno vescentium & vtentium periculo: nam propè eam stabulari solent. Id quod pulcherrima et memorabili historia docet Ioan. Boccatius de eo qui cum amasia in horto colludens, & gingiuas folijs saluiæ confricans ac detergens, illicò mortuus corruit. Ex quo in suspicionem porrecti veneni mulier cum qua ludebat & Veneris pręludia mouebat, nulla mora incidit. Cùm verò in hortum eum à iudice duceretur, et decerpto illiusmet saluiæ ramulo, mortuũ hominem eo modo, quo tunc ipsa, gingiuas confricando, corruisse ostenderet, corruit quoque statim & ipsa, magno astantium stupore & miraculo. Vnde iudex sanequàm prudens & arcanorum naturæ haud ignarus, de saluia illa malè suspicari cœpit, & ob id eam actutũ effodi iussit. Quod dum fieret, ecce prægrandis & luridus bufo sub ea latitare & stabulari deprehẽsus est. Qui vitio-

Sanguinis excreatio, appetẽtia & stomachus.

Saluia venenatis animalibus obnoxia.

viroſo halitu ſuo, & vligine, ſaliuaq́ꝫ peſtilenti totam plantam inficiebat. Quod ſcriptum hîc volui & monitum, licet in noſtra Memorabiliũ Chiliade etiam adnotatum ſit, vt ſibi deinceps cauere diſcant, qui vel naribus, vel linguæ, ſatis imprudenter, admouere ſolent hortorum plantas quaſuis.

Hyſſopus, & medica eius auxilia.
AREA II.

HYSSOpus Gallis vel hoc nomine cognita eſt, quòd in vſum condimentariũ illis frequenter veniat, & recentibus fabis dũ elixantur, aut frigũtur, populariter, ac ſalubriter, remiſceatur, nam flatuoſam illarum humiditatem diſcutit & emendat. Cum vino cocta & gargariſſata, anginæ medetur: bibiturq́ꝫ vtiliter ad ſuſpiria, & ventris lumbricos deturbandos. Quadrupedum ſcabiem ex oleo curat: & cum aqua, melle, fico & ruta, peripneumonicis & hepaticis ſuo decocto ſuccurrit: necnon tuſsibus vetuſtis, orthopnoicis, pleuriticis & deſtillationibus obnoxijs, vt interim nõ omittam quòd etiam teinias in aluo necat, ac lumbricos cum ficubus, & ad vlcera manantia valde eſt efficax. Iuſculum eius cum aceto mulſo propinatũ, lentorem, & craſsitudines pituitæ diſſecat, ac per inferiora abigit. Ad aquã intercutẽ & lienem tumefactum cum fico, nitro & iride efficaciter illinitur. Cum calente aqua, ſugillata emẽdat, & aurium inflationes at tinnitus, vaporis ſui ſuffitu diſcutit. Dẽtium excarnificationes miteſcunt, ſi illius decoctione tepida cum momento aceti colluantur: maximè ſi dolor excrucians à cauſa frigida obortus ſit. Vinum decoctio-

Angina, ſuſpiria, lumbrici, ſcabies, peripneumonia, tuſsis, hepatici, orthopnoici, pleuritici, d. ſtillatio, lumbrici, & vlcera.

Pituita, hydrops, liens, ſugillata, aures, dẽtes & vterus.

coctionis eius, vteri suffocationes laxat, & matricē à superfluis humoribus absterget. Singula his versibus nobis expediet herbularius poëta,

In pectus capitis si destillatio fiat,
Quæ persæpè solet tussim, phthisimq́, creare,
Prodest hyssopi decoctio, sumpta decenter:
Sic vt cocta simul sint mel, ficus quoq́, sicca.

Proderit etiā iisdem puluis hyssopi cum melle, in modum ecligmatis, aut cum oxymelite. Quod medicamentum etiam flatus abigit, & viscosum phlegma dissecat, redditq́; ad expulsionem facile. Sed pulchrum erit in medium proferre quæ de hyssopo scripsit Ioannes Mesuæ, familiæ Arabicæ medicus præstātissimus. Hyssopus (inquit) thoracem & pulmones, partésque alias respiratorias pituita, & humoribus putribus ac purè expurgat: & tenuādo, incidendo ac tergēdo sputum facile reddit. Ob hæc asthmati & epilepsiæ pituitosæ, cæterísque cerebri affectibus humidis salubris est, si decoctum eius sumatur cum oxymelite scillitico. Coctionem quoque iuuat, respirationem leuat, & cutis colorem floridum facit. Cum vino decoquitur ad soluēdos tumores hepatis, lienis & aliorum viscerum. Quæ odore & sapore est acerrimo, præstantior censetur, & quo floret tempore, eo colligi debet. hactenus Mesues. Hoc loco mihi sanè quàm opportunè in mētem venit secretum cuiusdam doctissimi medici, facile admodū & familiare ad deturbandos è renibus calculos. Id solùm constat syrupo hyssopi cum duplo vel triplo aquæ parietariæ. Quo remedio per dies decē aut duodecim hyeme propinato ieiunis, fidem ille mihi fecit se multos calculos

Flatus & pituita.

Thorax, pulmo, asthma, epilepsia, coctio, respiratio, hepar, lien & viscera.

Renum calculi.

culos & arenas è corporibus multorum exclusisse. Hæc de hyssopi viribus satis erunt, vbi admonuero quòd mediocrem sustinet coctionē ac trituram. Sed iucundum erit hîc adnotare ex Petro Pena, quòd in Anglorum hortis nullo mãgonio hyssopus dimidio sui folijs & ramulis adeò candescit absque lanugine, vt quamlibet niuem aut calcē facilè ꝑuocet semisse altera viridi manente.

Satureia, & medica eius auxilia.
AREA III.

Satureia Gallis *Sarrieta* dici solet, vrinas ciēs, ac menses euocans. Herba eius cum floribus, olfactu, aut coronæ modo capiti imposita, veternosos excitat. Succus cum rosaceo auribus dolentibus ritè instillatur, & cum triticea farina coxēdicibus vtiliter illinitur: medeturq; cum vino, pulmonis, thoracis, ac vesicæ vitijs. Pulices, cū aqua trita & respersa, necat: purgatq; optimè mulieres à partu, ac marcescētes coitus stimulat: quare à Satyris salacibus nomē traxisse creditur, vt sit satureia, quasi satyreia. Non est omittendū quòd ventriculi coctiones adiuuat, & eius fastidia discutit. Subactus illius puluis cum melle coctо, & delinctus, aut cum vino haustus, tenacem pectoris humorem per sputa educit. Idem cum vino tepido, ventris tormina compescit. Lethali somno oppressos expergefacies, si aceto calido satureiam commisceas, & inde caput frequenter foueas. Puluis in ouo sorbili haustus, Venerem sopitam excitare fertur. Fabis recentibus & vetustis cum selino incisa satureia & frixa, eduliū gratum tam vrbanis, quàm rusticis præbet. Sed coci sua coquinaria tractent.

Vrina, menses, veternus, aures, coxendix, pulmo, thorax, vesica, pulices, partus & coitus.

Coitus, ventriculus, coctio, pulmones, tormina, lethargus & Ven[e].

Maiorana, ſeu Sampſuchus, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Hydrops, dyſuria, tormina, ſuggillata, menſes, oculi, tumores, ſcorpiones, luxata, cerebrum & vterus.

MAiorana Gallis dici ſolet, quæ alijs ſampſuchus appellatur: nomine, vt videtur, à Latinis mutuato: fortaſſe quod maiore cura & diligentia à mulierculis excolatur, quàm herbæ multę. Huius vis excalfaciens eſſe traditur, vnde iuſculum decoctionis eius, ad incipienté aquam intercutem ſalubriter propinatur: necnon his quos lotij difficultas, aut tormina malè diſcruciant. Folia arida ex melle illita, ſuggillata emendant: & remorantes menſes, in peſſo ſubdita ſenſim euocant. Oculorum inflammationes prohibent, & cum polenta, tumores. Scorpionibus ex aceto & melle inuncta aduerſantur, & cum cera luxatis mirè proſunt. Succus expreſsionis maceratorum in vino, naribus attractus, aut immiſſus, ſternutamenta mouet, & à pituita cerebrum expurgat. Oleum ex ijs concinnatum, matricis coarctationem laxat: modò collum vteri, vt ſcribit Auicenna, illo inungatur. Mirabile ſanè eſt, nedum memorabile, mures radicibus maioranæ certatim inſidiari (ſicuti à nobis ſæpius obſeruatum eſt) ac ſi medicamentū & præſens auxilium ab illis depoſcerent: ſed in quem affectum, aut quam in rem, nos adhuc planè ignorare fatemur. Poſtremum id eſt. Ex maiorana quæ tenuior eſt, delicatior ac odoratior, minuta nuncupata oleū fit ſtillatitiū, quod coagulo leporino remiſtum, cum tantillo moſchi veri, præſtantiſs. auxilium multis fuiſſe conceptui ſolicitando & fœlicitando autores ſunt viri docti, arcanorum naturæ ſcrutatores ſummi.

Mures radicibus maioranæ inſidiari.

Fœni-

Fœniculum, & eius medica auxilia.

AREA V.

HOrtis omnibus innotescit fœniculum, à serpentibus summè nobilitatum. Nam gustatu eius senectam exuere & oculorum aciem reficere traduntur. Vnde intellectum est, inquit Plinius, hominum quoque caliginem eo præcipuè releuari. In lactis defectu potum illius semen mammas implet: quod vnum etiam præstat, autore Dioscoride, si cum ptissana exhibeatur, imò verò herba ipsa. Idem semen ex aqua tritum nauseam sedat, & stomachi æstus compescit, ac dissolutum ventriculum recolligit: éstque pulmonibus, ac iocinori laudatissimum. Ventrē sistit, cū modicè sumitur, ac lotium mouet, & tormina, si tostum fuerit, illicò mitigat. Decoctum comæ renum doloribus prodest, ac menstrua soluit: valétque radix cum ptissana ad eadem: quæ etiam hydropicis cum vino pota, necnon cōuulsis mirè auxiliatur. Folia vtiliter illinūtur ex aceto tumoribus quibuscunque ardentibus. Et puluis seminis cum mentha & axungia tritus, mammillarum tumores laxat. Præterea vētriculo perfrigerato, & ijs quibus crassa pituita est incidenda, summè prosunt vnciæ sex corticis radicis fœniculi cocti in aceti & mellis libra vna. Post coctionem, facta expressione, abijciuntur radices, & melle superfuso iterū coquuntur omnia ad spissitudinem, & de ijs exhibentur cochlearia tria cū aqua, plus, minus, pro ætate sumentis. Plerique radice vtūtur cum cera ad suggillata: cum melle ad canum morsus, necnon oculorum caliginem, & cū aceto ad tumores ictu illatos. Cuius rei te-

Caligo oculorum, lac, nausea, ventriculus, pulmo & iocur.

Venter.

Lotiū, tormina, renes, menstrua, hydrops, tumores, mãmæ, ventriculus.

Suggillata, canum morsus, caligo tumores.

ftem citamus poëtam herbulariũ, de marathri, seu fœniculi planta, in hunc fcribẽtem modum,

Radicis fuccus oculis cum melle perunctus,
Pulfa reddit eos omni caligine claros:
Illatos, ictu fubito, quofcunq; tumores,
Apponens tritam iuncto fedabis aceto.

Semina ad difsipandos & vacuandos ventriculi ac inteftinorum flatus fummè profunt, vel vulgato id atteftante verficulo rythmico,

Semen fœniculi referat fpiracula culi.

Flatus, genitura, pudendum.

Cæterùm, hîc de multis tacendum non eft, quòd fœniculum quomodocunque hauftum, genituræ abundantiam promouet: éftque pudendis amiciſsimum, fiue ad fouẽdum, radice cum vino cocta, fiue ad illinendum, eadem cum oleo trita. Fit fuccus è femine adhuc lactefcente & mufteo, vna cum folijs, ramis & cauliculis tenellis trito, & fimul expreffo, qui in fole ficcatus vtilis effe traditur medicamentis quæ parantur ad excitandam oculorum aciem. Prodeft idẽ ex radicibus prima germinatione contufis. Sunt qui caulem demetunt vbi floret, igniq; admouent, vt caloris vi exudantem, vice gummi, liquorem excipiant, qui vnus oculis multò efficacior ac præftantior effe folet, quàm fuccus præcedens. Q. Serenus eam in rem vtitur liquore fœniculi melle excepto: cuius carmina hîc fubfcribemus.

Oculorum acies caligans.

Si tenebras oculis obducit pigra fenectus,
Expreffæ marathro guttæ cum melle liquenti,
Detergére malum poterunt.

Modus conficiẽdi aquã caligantibus oculis vtilẽ.

Paulus Aegineta aquam oculis caligantibus vtilem ad hunc cõcinnat modum. In fictile nouum virẽtem fœniculum cum pluuiali aqua inijcit, & ibi

ibi dies aliquot ſimul eſſe ſinit, deinde extrahit, et aquã in vſum ſeruat perpetuo menſe oculis inſtillandam matutinis horis. Hîc non omittam, quòd fœniculo, tanquam alimẽto vtendum non eſt, quin potius vt medicamẽto: nam tardiſsimè coquitur, ac prauum & exile nutrimentum præſtat. Nonnunquam tamen exhiberi ſolet ad corrigendam ciborum quorundam prauitatem ac malitiam. Quemadmodum enim lactucæ interdum addimus petroſelinũ, mentham, maioranã, aut quid ſimile, vt eius frigiditatẽ obtundamus, vel contemperemus: ita & fœniculum nonnunquam cucurbitis, & napis, vnà incoquimus, vt illorum noxam & prauam qualitatem emendemus. Quod etiam in coquendis piſcibus multis, præſertim marinis, locum habere ſolet: quos fœniculi folijs nunc obuoluimus, nũc infarcimus, ad conciliandã ſaporis ſuauitatem, & fallendam marinæ auræ graueolentiam delicatulis palatis plerunque moleſtam. Sed hæc coquinam potiùs ſubolere mihi videntur quàm medicinam, quare verbum non ampliùs addo. Pulchra & notatu digniſsima.

Mentha hortenſis, & medica eius auxilia. AREA VI.

MEntha nomẽ ſuũ in Gallia retinet, quam Florẽtinus ruſticæ diſciplinæ apud Græcos profeſſor eximius, ſcripſit vel ob id inutilem eſſe, quòd vulnerato exhibita, vulnus illius ſaneſcere & cicatricem ducere prohibeat: datur nihilominus in ſorbitionem ſanguinem excreãtibus, vel Q. Sereno teſte, cuius hæc ſunt verba, licet à nobis alibi producta, Vulnus, ſanguis, teſtes, aures, lingua, partus & canis morſus.

Sin etiam rutilus referetur pectore sanguis,
Sorbitio menthæ, raphanus vel cocta iuuabit.

Plantam hanc diuersis testium morbis occurrere certum est, si eius decocto opportunè foueantur: adhęc aurium dolores & linguæ asperitates cum melle iuuare, & cum sapa, partum accelerare, canisq; morsus, cum sale curare. Si in lac proijciatur, neque illud coalescere, neque spissari permittet, etiam si ei coagulum remisceatur, quemadmodum scripsit Florentinus: qui eadem vi illam generationi resistere, & proinde parum vtilem esse arguit. Alij contrà, perquam salubrem haberi defendunt, adeò quòd si mammis familiariter accesserit, nec coire lac patiatur, nec densari: quare lactis potionibus illam consultò addi promittunt, ne eius coagulatione periculum strangulationis immineat. Multi fidem mihi fecerunt, se probauisse, caseos nec corrumpi, nec putrescere, qui mēthæ succo aut decocto illinerētur. Ex quo non ineptè post Græcos scripsisse videbitur herbularius poëta de hac planta hunc in modum,

Lac, mammę & casei.

Caseolos succus putrescere non sinit eius
Admixtus, vel si viridis superadditur herba.

Decoctum exhibitum ad tres dies, ita à colico dolore liberare fertur, vt nunquam repetat: autor est Aëtius, testās se eo auxilio à colico cruciatu liberatum fuisse. Singultus & vomitiones tam pituitosas quàm sanguineas menthæ succus cum succo granati sistit, vt Democritus in suis adnotauit Georgicis. Cum amylo & aqua, cœliacorū impetus frēnat, ac mulierum purgationes immodicas cohibet. Huius odor vt animū excitat, ita sapor auiditatem & appetentiam in cibis proritat.

Singultus, vomitus, cœliaci, mulierum purgationes, appetétia, nares, caput & sanguis.

tat. Recẽtis ſuccus ſpiritu ſubductus, narium vitia emendat: qui etiam in capitis dolore, temporibus vtiliter illinitur. Idem cum aceto, ſanguinis fluxiones internas continet. Quin aiunt plantam ipſam impetigines, vel ſi teneatur tantũm, prohibere: quod alijs de mentaſtro ſcriptum placet. Non eſt hic tacendum, quòd ſtomachum valde roborat, eiúſque putrefactiones ſummoperè emendat, vermes eò reptantes, & ventrem inferiorem obſidentes, ſuſq́ deq́ exturbando. Cuius rei teſtem proferemus Salernitanam academiam ſic de mentha rythmicis verſiculis ſcribentem, Impetigo, ſtomachus & vermes.

Mentitur mentha, ſi ſit depellere lenta
Ventris lumbricos, ſtomachi vermesq́ nociuos.

Exhibenda eſt autem eius decoctio (velut abſynthij) & non ſubſtantia. Cornel. Celſus de teretibus vermibus qui pueros ſolent infeſtare, id accipiendum & intelligendum cenſet. Dioſcorides ſuccum ex aceto propinatum idem præſtare pollicetur. Sed pulchrum erit audire Q. Serenum ſuper ea re pulchrè philoſophantem.

Quid nõ aduerſum (inquit) miſeris mortalibus addit Pulchri verſus.
Natura? interno cùm viſcere teinea ſerpens,
Et lumbricus edax viuant inimica creanti?
Quod genus aßiduo laniat præcordia morſu:
Sæpè etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſasq́ vias vitæ concludit anhelæ.
Democritus memorat menthæ conducere potum. Partus, lac, & mammæ.

Bibita partũ accelerat, lac auget, ac mammarum puritiẽs ſoluit, cocta & emplaſtrata. Hîc omitten dum non eſt, cultus mangonio humorem ſibi aſciſcere menthã, qui ad Venerẽ valde ſtimulos exacuit: quod eſt omnibus commune rebus quæ Quomodo mentha ad Venerẽ ſtimulos exacuat.

ſemicocto humore, eoq́ spirituoſo ac flatulento participant. Quæ res problematicum hoc Ariſtotelis Adagium ſoluet: *Mentha, belli tempore, nec ſeri, nec edi debet*. Hoc enim cibo largè veſcentes in libidinem ruunt, quæ corpus debilitat, vires frangit, ac animos eneruat. Quæ tria fortitudini & audaciæ ex diametro pugnare nemo eſt qui neſciat. Ariſtoteles tamen aliam arbitratur eſſe cauſam, nimirum quòd mentha corpori frigus adducat: eius rei argumento, quia ſemen genitale hauriendo corpus refrigerat: frigus autem fortitudini atq; audaciæ aduerſari certum eſt. Vt vt fuerit, Dioſcorides mentham, vt diximus, Veneris voluptatibus valde commendat. Vnde nihil mirum eſt ſi antiquitas, flagrante bello, militibus illius eſu interdixerit: ſcripſeritq́ Ariſtoteles,

Cur olim militibus interdictus mẽthæ vſus.

Mentham nec comedas, nec plantes, tempore belli.

Nam frequenti Veneris vſu fortiſsimi quiq;, ceu effœminati ac molles, facilè contorpeſcunt. Sed in his verſatum ſatis, vel fortaſſe plus quàm par fuerit, nam medicis ex mentha remedijs nihil conferunt.

Thymus, & medica eius auxilia.

AREA VII.

THymum vulgò Gallorum *Thym*, nuncupatum, plerique maioranam Anglicam dicũt: cuius flores apibus ſummè amicos eſſe norunt omnes: nam gratum colorem & odorem melli addunt iuxta Virgilianum illud,

. redolentq́, thymo fragrantia mella.

Orthopnoici, ſuſpirioſi, pulmonarij, pectus,

Decoctum huius cum melle, orthopnoicis & ſuſpirioſis valde prodeſt: necnon ad pectoris vitia quæuis excreanda. Remoratos fœminarum menſes,

ses, & enectos partus, ac secundas pellit, vrinasq; promouet. Thymos ac verrucas herba trita tollit, & ischiadicis cum vino ac polenta medetur, atq; optimè comitialibus datur, quos correptos olfactu eius excitari sæpe audiuimus. Quin & illos dormire aiũt oportere in molli thymo. Folia trita & lanæ inspersa, luxatis vtiliter ex oleo apponuntur: & ambustis, ex adipe suillo efficaciter linũtur. Sed vitari debet is thymus qui niger est, & eligi qui flore illustratur cæruleo vel albo. Verum enimuerò iucũdum erit hîc audire philosophantem de thymo Ioannem Mesuæ. Calfacit, inquit, tenuat, incidit, resoluit, obstructa aperit, ac crassos flatus dissipat. Pituitam clemẽter educit per aluũ (cum sale & aceto vt Dioscoridi placet) &, vt quibusdam libet, etiam melãcholiam, sed imbecilliter, cum sale gemmeo vel Indo. Pituitam etiam crassam & lentam à thoracis & respirationis partibus euocat, necnõ à cerebro. Ob id partium harum et neruorum frigidis & pituitosis affectibus mirè succurrit: vt asthmati, tussi, pulmonibus à frigido dolentibus: præsertim syrupo suo, vel decocto, vel oleo ex eius floribus incoctis facto: quod etiam visum acuit & sanitatẽ conseruat. Partes neruosas calore suo roborat, & suffitu auris dolorem ac tinnitum flatuosum emendat. Saluber thymus est senibus cõtra hyemis iniuriã: appetentiam excitat, coctionẽ iuuat, cum melle & nitro lumbricos necat, menses ac vrinas mouet, et rigori febrili opitulatur. Eius vehemens caliditas aliorũ mistione obtũditur, siue coquatur cum vuis passis, siue aceto infundatur, siue mulsæ cum pauco sale gemmeo, qui purgationem eius auget. Coctionem & triturã medio-

Margin notes: menstrua, partus, secũdæ, vrinæ, verrucæ, ischiadici & comitiales. — Luxati & ambusti. — Flatus, pituita, melãcholia, thorax, cerebrum, nerui, asthma, tussis, pulmo, visus, & aures. — Senes, appetentia, coctio, lumbrici, menses, vrinæ & rigor febrilis.

crē sustinet. Præter has thymi vires à Mesue Damasceno descriptas, alias quoq; ei reddidit præclaras Aëtius Cappadox, hīc etiam nobis proponendas. Hæc, inquit, experimētis de thymo comperta sunt. Dato ieiunis articulari morbo laborātibus thymi aridi minutissimi drachmas quatuor, cum oxymelitis cyatho: bilem enim, reliquos q; humores, atq; acrem saniem vacuat. Facit & ad vesicæ affectus. Ventre autē inflato, vbi scilicet intumescere cœperit, drachmam vnam dato ieiunis cum cochleari aquę mulsæ. Ad lumborum, coxendicumq; dolorem, ac lateris & thoracis, necnon hypochondriorum suspēsiones et inflationes, pondere vnius drachmæ cum oxymelite cochlearis mensura, ieiuno exhibetur. Similiter etiam melācholicis & mente turbatis, timoreq; detentis, drachma cum oxymelitis cochleari præbetur. Datur item ieiunis & ante cœnā aduersus lippitudinem & vehementem oculorum dolorem. Prætereà contra podagram, etiam quæ motum omnino interceperit, cum vino vtilissimè propinatur. Postremò ad tumefactos testes, ieiunis duæ drachmæ salubriter exhibentur. Hactenus de thymo, cuius medicam historiam fusè dilatauimus, quòd magnarū virium plātam esse intelligeremus, ac hortis omnibus passim obuiam & familiarem.

Arthritis, bilis, vesica, hydrops, lūbi, coxēdix, latus, thorax & hypochōdria.

Melācholici, lippitudo, oculi, podagra & testes.

Ocimum hortense, seu Basilicum, & medica eius auxilia. AR. VIII.

OCimum hortense (aliud enim est ocimum pabulare & segetarium) vsq; adeò notum est, vt perraræ vbiq; sint ædium fenestræ, & perrara

rara viridaria, quæ illo longè ac latè non redoleant, tanta est fragrantia & suauitate : à qua etiam ozimũ rectè dici, ac scribi posse contendunt multi: vt sit ab ὄζω, quod est redoleo. Græci recẽtiores qui de re herbaria scripserunt, Psellum sequuti, βασιλικὸν, id est regium appellant : quod nomen apud Gallos passim vsurpatur. Sic fortasse dictũ, quòd in solis Regũ hortis aleretur, vel quòd Regibus ob præstantiam odoris, dignum esset. Verùm hæc nihil ad medicas eius facultates, de quibus nunc demum seriò nobis agendum. Inter veteres parum conuenire lego, vtile ne sit an noxiũ cibis. Chrysippus medicus antiquiss. cacostomachum esse dixit. Galenus & Paulus Aegineta ob humorem excrementitium internis partibus efficientem, cibis abdicarunt (quod de immodico vsu intelliges) non tamen exteriùs damnarunt. Qui contrariam tuentur opinionẽ Dioscorides & Plinius, hæc ceu commentitia rident, afferentes stomacho prodesse, quòd eius inflationes discutiat ex aceto sumptum. Sanè sicuti eius vsum largum & liberalem nocere arbitror, ita sobrium & temperatum iuuare credo. Nam si quis eo, perinde ac reliquis oleribus affatim & prodiga manu vti velit, proculdubio intestina sentiet incommoda. Si verò parcius, ac si medicamentum esset, interna percipiet commoda. Ventrem remollit, flatus discutit, lotium mouet, ac lactis prouentum mulieribus adfert. Tritum & naribus inditum sternutamenta ciet: quibus instantibus conniuere oportet. Odoratu tristes exhilarat, ac timidos animat, mixtoq́ atramento sutorio, verrucas tollit. Venerem stimulat ex quo tam equis quàm asinis, admissuræ tempore, vtiliter ingeritur ac exhibetur.

Stomachus & eius inflationes.

Venter, flatus, vrina, lac, sternutamentum, verrucæ & Venus.

Lipothymia, caput, pulmones, distillatio, dysuria & atra bilis.

vsu quoque compertum est, ex aceto salutare esse deficientibus animo: adhæc caput dolentibus, de causa frigida, cum rosaceo, vel eodem aceto. Dioscorides cum polline polentæ, aceto & rosaceo illitum contēdit pulmonum inflammationibus auxilio esse: eiusq; succum distillationes exsiccare: & semen potū difficili vrinæ auxiliari, necnō atram bilē gignentibus, opē adferre summā. Refert Plinius, Chrysippum medicum grauiter ocimum increpuisse, & fugiendum hominibus præcepisse, quòd capræ illud aspernentur. Quæ cùm cæteris pabulis omnibus auidissimè vescātur, ab hoc vno, etiam famelicæ, cautè abstinēt. Quod à Sotione Græco geoponico etiam adnotatum inuenio. Qui vltra hæc afferit, insanos fieri qui ocimo vtuntur: additq; eum qui ocimum manducauerit, si eo die à scorpione feriatur, seruari non posse. In quem & Chrysippum videtur pugnare Plinius, scribens, capras libēter ocimum esse, nec cuiquam mentē motam qui illud manducauerit: quin & terrestrium scorpionum ictibus ex vino & pauco aceto sumptum salubriter mederi. Dioscorides ex Africanorum placitis tradit, eos qui ocimum ederint, nullo cōflictari dolore, si à scorpione feriantur. Ex quibus opinādum relinquo, num expungenda sit negatio apud Sotionem. Diodorus in Empeiricis credit ocimum pediculos creare, si quis eo largiùs vtatur, ob excrementitiam humoris superfluitatem quo imbuitur. Mirabile sane, & ob id memorabile, quod à Iacobo Hollerio Medico præceptore nostro doctiss. visum & adnotatum fuit: Cuidam Italo ex odoratu frequenti basilicæ herbæ natum scorpionem in cerebro qui vehementes dolores & longos, mor-

Insani & scorpionis ictus.

Pulchra de ocimo, & non tatu digniss. ma.

Pediculi & partus.

mortem denique ei attulit. Postremũ hoc sit, quod ab amico erudito probatum intellexi: Si ex partu laborans mulier, ocimi radiculam cum penna hirundinis tenuerit, absque dolore illicò pariet. Sunt aliæ plantæ huius admiranda secreta, paucis hactenus cognita, quæ cum aliis plerisque publicabimus, si isthæc grata fuisse audiuerimus.

Orualla, seu satiuum Horminum, & medica eius auxilia. AR. IX. aduenerem

ORualla herba perquam odorata, Parisiensibus *Tota bona* dici solet, quibusdam sclarea, vel scarlea, aliis matrisaluia & gallitricũ: necnon herba S. Ioannis. De eius facultatibus hæc in præsentiarum à me accipies. Herba trita aculeos ac spinas extrahit, & remorantes difficilesque partus accelerat. Vino præterea iniecta mentem exhilarat, & Venerem extimulat: verùm liberaliùs sumpta, caput tentat. Tam satiuum quàm syluestre horminum medicatum habetur: sed vehementius syluestre ad venerea illicita. Vnde illi nomen ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν. Semen in calyculis nigrum καρηβαρίαν, capitisue grauitatem facit, odore quem vniuersa vibrat & spirat planta. Idem semen lippitudines tollit, & oculis immissum, ac multa frequentique reuolutione per illorum orbem raptum, quasi humore prægnans, & tenuibus membranulis onustum, sordibusque conuestitũ, tandem egreditur: secum educens & euerrens quæ inciderunt & molesta fuerunt. Id quod multis multorum experimẽtis, tam est notum, quàm nota fuit canibus casta Diana suis. Insuper ἀργέματα & oculorum albugines cum melle purgat, tussi-

Aculei, spinæ, partus, venus, lippitudo, albugo, tussis.

tussientibusq́ꝫ vtile censetur esse. Mulierculæ prętere a illud caligantibus oculis imponunt, nec ex oculo auferunt, nisi caligine soluta. An verò hæc planta, Plinij alectorolophos dici possit viderint eruditi. Non omittam, & si nihil ad medicum hoc nostrum institutum, quòd flore hortensis hormini & semine in dolio vini posito, dum adhuc feruet vinum, tanta gratia ipsi vino conciliatur, vt Cretici, aut Maluatici gustum præ se ferat. Arrigite aures œnopolæ, sed neminem, obsecro, vestris improbis & noxijs miscellaneis defraudate, animorum & corporum iactura irreparabili, & capitali edicto plectenda, in hac præsertim Galliarum metropoli Lutetia, vbi maximè ea pestis viget, summo studentium & lucubrantium incommodo.

Secretū pro vinis.

Rosmarinus, & medica eius auxilia.
AREA. X.

Lipothymia destillatio, tussis, icterus pestilentia & capitis affectiones.

Rvra & officinæ Rosmarinum appellant, quod alijs libanotis dici solet. Frutex est topiarius, necnon coronarius, cuius odor, resinam aut thus vtcunque præ se fert: tam suaui ac iucundo spiraculo, vt quos animus defecerit, illicò recreare possit. Suffitu destillationes ac tussim continet, regiumq́ꝫ morbum suo curat decocto. Et quod illi de multis nobile est ac insigne, solo nidore in pestilentia tutam reddit domum, expiando & repurgando improbam aëris perniciem suffitu ac vapore salutari. Paratur oleum distillatione perquam odorum & vtile ex summis virgultis & floribus Rosmarini, paralyticis & induratis articulis schirro detentis apprimè commodum,

dum. Cordi & stomacho valde prodest aqua: flores caput ac cerebrum maximè roborant: ex quo illorum vsus admodum efficax esse solet contra capitis affectiones. Sunt qui saccharo eos condiāt & sibi ac amicis eam in rem diligenter custodiāt. Totus frutex vtilis est omnibus frigidis ægritudinibus, membra ac neruos egregiè roborans & calfaciens. Sed paulò particularius hic nobis est medicè philosophandum in expertis & probatis Rorismarini auxiliis. Itaque, succus radicum & foliorum eius defæcatus, & cum melle despumato in modum collyrij concinnatus, plurimum valet ad defluxiones pituitæ in oculos. Quæ si calidæ fuerint, licebit addere oui albumen, cum succo pomi generosi, & aqua rosacea confusum ac diu agitatum. Semen cum pipere & vino haustū, singulare adfert præsidium contra icterum, hepatis obstructiones & inflationes. Radix siccata, puluerata, & cum vino bibita, vētris dolores, etiam si colici fuerint, perbellè castigat & demulcet. Quod etiam faciunt ruta & satureia. Reliqua scribentur in opusculo vinorum medicatorum & rerum aliarum hortensium.

Nerui, oculi icterus, opstructio hepatis, inflatio, & ventris dolor.

Defluxio.

Lauendula, quibusdam Pseudonardus, & medica eius auxilia.

AREA. XI.

Lauendula quæ Pseudonardus quibusdam dici solet, nostratibus verò *Lauanda* (quod in balneis, lauandis corporibus summè expetatur, & elota omnia, si eis permisceatur, odoris suauitate commendet) frutex est omnibus notus. Qui, quia non minùs placet fragrantia quàm nardus,

Vnde dicta sit Lauendula.

dus, idcircò apud nos Spicæ nomen sibi arrogauit, & *Aspicum* dici consueuit. Licet ad maiorem Lauendulam multi detorquere satagant. Huius spicata cacumina & tonsiles vertices, manipulatim in scopas & muscaria concinnatos, bigis ac clitellis Lutetiæ per æstatem venales vicatim proclamari, & passim à rusticis in varios vsus plenis vlnis certatim comportari, nemo est qui non videat. Sed hæc nihil ad medica lauendulæ auxilia, de quibus nunc demum nobis agendum. Omnibus cerebri frigidis affectibus, conuulsisque ac resolutis illam auxiliari scribũt Arabes, Græci, ac Latini medici: adhæc, ventriculum roborare, & iecur ab infarctu liberare. Obstructos etiam lienes valde iuuat, & vterum calfacit, ac menses secundasque educit. Lauendulæ plurimum inest aromaticæ gratiæ, eoque affectibus matricis semen & folia commendatiora habentur: tum fomentis & lotionibus, tum pulueribus & dilutis intrò sumptis, ad suffocationem & ascensum ex vaporibus putridis, & ad partus accelerandos. Fit è floribus stillatitium oleum vitreis organis expressum, quod vnguentarij oleum de spica vulgo nuncupant, tanta odoris prestantia & fragrantia, vt cætera odoramenta superet ac obtundat. Quò fit vt extra officinas & myropolia illud afferuent aromatarij, ne moschi, ambari, zibbeti, aliorumque vnguentorum & aromatum suauitatem intercipiat. Valet ad eadem quæ planta ipsa, & multò præstantiora, à nobis alibi exponenda.

Cerebrũ, cõuulsi, resoluti, ventriculus, iecur, lien, vterus, mẽses & secundæ partus.

Oleum de spica.

Hæc sunt quæ de hortorũ herbis & fruticibus odoratis in præsentiarũ adferre possũ. A quibus ad herbaceos & suffruticeos fœtus, eadẽ medica metho-

methodo explicandos & illustrãdos opportunè transeo: modò commonefecerim lectorem, me lauandulam inter flores odoratos noluisse transferre, quòd vniuersum folium æquè odoratum habeat, atque florem. Quæ res floribus in quinto campo describendis, planè denegatur. Verumenimuerò quia eius flos absque folio solus potest decerpi, si quis ad florum regionem illam traducere voluerit, vnguem non verterim.

HORTI MEDICI CAMPVS QVARTVS, FRVCTVS CARTILagineos, herbaceos & fruticeos, sex areolis distinguens.

Cucurbitæ, & medica earum auxilia. AREA. I.

Quia in censu fructuum herbaceorum qui cartilagineo generi ascribuntur, Cucurbitæ primas tenent in hortis, idcircò de illis primo loco hîc agemus: & si Chrysippus medicus eas in cibo damnarit, ceu stomacho inutiles, contra Diphilum, qui illas affirmat ex aqua & aceto coctas ventriculum roborare. Afri, & item Græci geoponici, aluum lubricare tradunt, earundemque succum instillatum, auribus dolentibus valde prodesse. Caro interior suis spoliata seminibus, pedũ clauis auxiliatur, & decoctæ succus dentes mobiles stalibit, illorum dolores cohibendo, à calida causa contractos. Aluum præterea sua humiditate remollit, tametsi pessimè corpus alat sicuti hoc disticho eleganter expressit poëta Hessus, Ventriculus, aluus, aures, pedum claui & dentes.

Humida frigoribus cognata cucurbita, paruo,
Quod vires faciat, pondere corpus alit.

Si su-

Cucurbita humida & frigida.

Si sumatur vt simplex medicamentum, refrigerabit ac humectabit: si vt alimentum, calida eimisceri debent, veluti petroselinum, cepa, piper, mentha, thymus, & similia: alioquin humorem gignet aquosum & promptè corruptibilem, præsertim si frigidum nacta fuerit ventriculum. Corticis ramenta, tusa & infantium capitibus illita, ardores extinguunt ex siriasi. Et si quis in crudā cucurbitam excauatam merum infundat, & sub dio contineat, illudq; temperatum propinet quibus aluus est suppressa, ad excernendum proritabit. Cinis aridæ impositus ambustis, mirè illis opitulatur. Sed hic ne, quæso omittamus, quòd cucurbita in patinis aut sartagine frixa, multò est salubrior quam elixa. Nam inter assandum vim magnam humoris aquosi deponit: ideo valentius ac præstantius exhibet alimentum. Si elixa fuerit, acrium societatem postulat, alioquin fatua habetur, & insipida: gaudetq; acidorū, austerorū, salsorum & aliorum contubernio, quorum vires corpori nostro communicat: fitq; ita, vt nausea, quam alioquin creare solet, prorsus vacet: quemadmodum doctè & eleganter scripsit Galenus, post Hippocratem vbiq; magnus. Sed his prælibatis, medica & experta cucurbitarum auxilia repeto. Itaque, si fictili torreantur, & cum anserino adipe terantur, incredibile auxilium vulneribus adferent. Et succus exceptus de ramentis illarum per se tusis, aut cum rosaceo, cutis adustiones quasuis emendat. Sed de omnibus mirabilis est earumdē aqua aduersus febres acutas & ardētes ad hunc modum comparata. Recens cucurbita recenti pasta conuestitur, calente clibano cum pane assatur, aperitur, & aqua intus natans colligitur.

Siriasis, aluus, ambusta

Cucurbita frixa & elixa

Vulnera & adustiones.

Aqua cucurbitæ præstantissima.

gitur. Si alia via placet incedere, cucurbita tota integra frustulatim secatur, fictili nouo includitur, clibano (vt prius) coquitur, & hinc expressa aqua seruatur. Vsus erit cum saccharo ad restinguendos febriũ ignes, sitim temperandam & aluum clementer mouendam. Quod etiã præstabit aqua infusionis & macerationis seminũ psylij cũ saccharo rosato, vel iulebo violaceo, sicuti multis experimentis fœliciter obseruauimus factum. Non tacebo ex Auicenna, quòd qui colicis cruciatibus est obnoxius, religiosè abstinere debet à cucurbita & cucumere, quouis modo paratis: alioquin suo damno acclamare poterit, Febris, aluus & colici cruciatus.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Cæterùm, nec vtile nec ociosum erit admonuisse, quòd cum insipida sit cucurbita, & ex eorum genere quæ græci ἄποια vocant, hoc est qualitatis expertia, tamen dum coquitur, quouis sapore & odore, imò verò colore facilè imbui potest, pro natura eorum quæ illi miscebuntur. Quomodo autem fieri debeat deiectoria in suo cucurbitario docemus in opusculo Secretorum hortensium, & methodo comparandorum fructuum, olerũ, radicum, vuarum & vinorum, quæ corpus blandè & innocenter purgent. Cucurbita ex se insipida.

Cucumeres, & medica eorum auxilia. AR. II.

CVcumis tam est notus vrbanis ac rusticis mensis omnibus, vt nihil notius esse possit in tota hortensium familia. Hunc Matron suis carminibus terræ filium nominauit, quòd ex ea veluti prodiens, in illius gremio perpetuò iaceat. Cucumis terræ filius.

Heraclides Tarentinus hedygeon, quasi terrę suauitatem, nuncupare voluit: quem Diphilus Carystius, medicus apud Græcos doctiss. & agricola optimus, primis mensis veluti noxium damnauit, vt qui raphani modo sursum feratur: sed postremo cibo sumptum, concoctu faciliorem promisit: alioquin epulis illum abdicauit. Semen vrinas acres contemperare tradunt qui de rebus agri & medicinæ scribunt. Vim habet refrigerandi pulpa tota, ex quo ægrè in corpus dispensatur ac difficulter per vētris anfractus permeat: febriles horrores nonnunquam hinc mouens, & Venerē consopiens. Quod postremum Græci celebratissimo hoc prouerbio testatum voluerunt, Mulier pallium texens, cucumerem deuoret. Quoniam textrices magna ex parte, si Aristoteli credimus, sunt impudicæ, & Veneri admodum opportunæ. Naribus admotus cucumis valde confert ad syncopen à causa calida. Et semen in lacte vel passo vtiliter ijs propinatur, quibus vesica exulcerata est, vel sumptæ cantharides negocium faciunt: adhęc tussientibus, si quantum tres digiti prehenderint, cum cumino teratur, & ex vino bibatur. Prodest etiam phreneticis, in lacte mulieris, & dysentericis, acetabuli mensura: necnon purulenta excreantibus, pari pondere cum cumino. Totus abstergendi & incidendi facultate pollet, ex quo splendida reddit corpora: eoque magis, si quis semine arefacto, tuso & cribrato, vice pulueris abstersorij vtatur. Sed vtile erit & pulchrum audire Claud. Galenum de Cucumerum vsu eleganter, suo more, differentem. Quibus cucumeres, inquit, probè concoquere datum est, dum in hoc sisi, intrepidè affatimque ijs sese ex-

Vrinæ acres, & febrilis horror.

Syncope, vesica tussis, phrenesis, dysenteria & purulenta excreatio.

explent, longi temporis tractu, frigidum & vtcumque crassum humorem in venis coaceruant. Qui per eam qua venæ funguntur coctionem, haud facile in probum sanguinem potest conuerti. Ob eam igitur causam, omnibus praui succi edulijs abstinendum censeo: etiam si ea quibusdā concocttu sint facilia. Nobis enim non aduertentibus prauus succus ex ipsis post longum tēpus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrendum occasionem nactus, febres malignas accendit. Hæc sunt aurea Galeni verba, omnibus qui valetudinem inculpatam tueri satagunt, alto corde præuidenda, & mordicus tenenda. Memorabile sanè est quod in Græcis Quintilliorum georgicis legi, & à multis non infœliciter expertum audiui. Quid illud, inquies? Si febricitanti infanti, qui adhuc lacte nutritur, aut paulò grandiori, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quasi condormiscant, statim sanabitur, febrili calore omni ab illis presso, hausto & extincto. Athenæus scribit cucumeres plenilunio in hortis maximè gliscere, & manifestum incrementum capescere, necnon more echinorum marinorum impleri, quod aquei humoris summum est argumentum. Suffragatur Athenæo Plinius, addens insuper eos velut timore perterritos, quoties cœlum tonat conuerti, & quasi tabescere: cuius rei certam fidem mihi fecit experiētia, præsentibus aliquot amicis meis, qui rerum naturas & secreta per experimenta quęrūt & explorant. Ne, obsecro, prętermittamus quòd cucumeres à mulis, felibus, & asinis summoperè expetūtur, mira & incredibili eorum voluptate illecti: quorum odorem vel eminus sentiunt.

Aurea Galeni verba sūmè notanda & obseruāda.

Febres paruulorum.

Cucumeres lunares esse.

Cucumeres felibus, mulis & asinis summè expeti.

 Quare

Quare munienda sunt cucumeraria, ne illuc erũpentes, ea depopulentur, conculcent ac proterãt Sed instituti mei oblitus, quorsum rapior? medica itaque auxilia repeto. Si quis seminum cucumeris, cucurbitæ & citrulorum partes equales acceperit, ac seminum lactucæ & portulacæ partem mediam, adhæc succi glycyrrhizæ, quartam vnius, & cum mucilagine psylij paruos trochiscos ex his formauerit, ac in ore tenuerit, vel syrupo aliquo acetoso diluerit cum aqua hordei, habebit præsens auxilium aduersus sitim & febrilem æstum.

Aduersus sitim & æstus febriles.

Pepones, melones ac melopepones, & medica eorum auxilia. AR. III.

QVia tres isti hortenses fœtus qualitatibus inter se ferè conueniũt, idcircò, vna (quod dicunt) fidelia nobis hîc dealbabũtur omnes sub pepone, qui tum maturus ac edulis esse videtur, cùm pediculus à corpore secernitur, & suauis odor ab eius vmbilico nares ferit. Diocles Carystius scripsit in libris salubrium quos edidit, peponem concoctu facilem esse, mirumque in modũ cordi placere, sed parum iuuamenti adferre. Diphilus prompte crassescere tradidit, ac paucam alimoniam suppeditare, & per aluum ægrè exigi. Phænias eum duntaxat crudum censuit edendũ qui est citra seminium. Galenus pepones omnes refrigerare, & largo humore imbui dixit: sed nõ absque manifesta detergendi facultate: vel eo nomine quòd obsitam pædore cutim illustrent, ac lentigine: & vitia insolatæ faciei, cum vitiliginibus

Quando maturus esse dicatur pepo.

Cutis pędor, lentigo, vitiligo, cholera & pituita.

bus emaculent, præsertim semine. Addit, improbum creare succum, etiam si à stomacho probè conficiantur. Præterea, choleram morbum præcipitem ac periculosum in multis concitare, & su perfluarum humiditatum copiam fusè deque effundere. Primo cibo sumi debent, ita tamen, vt qui pituitosi sunt, vinum vetus superbibant: & biliosi acidulum cibum præsumant: nam sic omnis abigetur noxa. Peponarius enim cibus sanè quàm facilè in flauam bilem, vel pituitam degenerat. Qua ex re, biliosos prædulcis pepo, pituitosos verò immaturus offendit. Longos rotundis multi præferunt: omnes tamen aluum mouent, & vrinā cient, modò fuerint maturi: proindeq́ renibus vtiles esse cēsentur: sed semine magis, adeò vt cōcretos inibi calculos efficaciter deturbet. Si cortex oculis humore calido vexatis frōti ligetur, ruētes in illos fluxiones pulchrè sistit ac compescit. Succus cum semine in farinā siccatus smegma facit ad cutē emundandā, & conciliandū in facie nitorē, sanè quàm illustrem. Cæterùm, pepones omnes in paratis corporibus, vomitum eliciunt, nisi cibus succo bono præditus supermandatur: nam sic festinantiùs deorsūm prouoluētur. Plerique medici tradūt, illos desideria ruentiū in Venerem frænare, & genitură minuere. Sunt qui pro comperto scribant melonis frustulum ollæ immissū, celerem carniū coctionē iuuare. Quod etiam præstare aiunt vrticæ aut sinapis semē, vel fici surculum vt suo dicemus loco. Finis hîc esto, Pepones à felibus summè & auide expetuntur: quare à peponarijs longè sunt arcendi, ac procul abigendi. Non omittam quod semina melonum ex corticata & saccharo cōdita, multū valent ad

Aluus, vrina renes, calculus & oculi

Vomitus, Venus & genitura.

Pulchra & notanda.

Vrina, renes, siriasis infantum. ciendam vrinam & renum dolores demulcẽdos. Imprudenter omisi quòd ramẽta peponum vtiliter syncipiti apponuntur, contra adustionem infantium quam siriasim vocant.

Cinara, seu Carduus hortensis, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Quomodo cinara ex agris in hortos venerit. PAuci sunt hodie horti in Gallia, qui longè aclatè non syluescant hac planta, adeò vt opipara nulla sit mensa, absque echinato eius cibo nisi anni tempus illum negauerit. Altilem & hortensem nuncupamus, quòd re vera sit ex carduorum genere : quem culturæ mangonium domita feritate ex agris in hortos venire compulit nescio qua gulæ audacia, quæ campestria terræ portenta, & asinorũ pabula, in ganeam & luxum vertit, à quadrupedibus plerunq; neglecta : vsqueadeò ventris & veneris desiderijs ac illecebrosis voluptatibus obsonantur epicurei homines, telluris inutile pondus. Vulgus Gallorum plantam hanc *Alticocalum* nuncupare solet : ab articulo Arabũ *al & cocalos*: qui Hippocrati, Galeno teste, nucleus est pineæ nucis, cuius quidem nucis imaginem pulchrè æmulatur cinara: quam iuribus, asparagorum modo, incoqui, & ex butyro, sale atque aceto, diuitum mensis apponi, nemo non videt. Sunt qui asperso sale, & piperis, aut anisi vel coriandri addito polline, cruda illa vtantur, & ita natiuam nucleorum eius squammatim hærentiũ suauitatem excipiant. Sed hic rursum ad eundem impingo lapidem, oblitus me medicum agere, non coquum. Venio itaque ad facultates cinaræ, quam Galenus tradit praui succi edulium esse, & maxi-

Quomodo coquenda & paranda cinara.

Cinara praui succi edulium.

maximè cùm plusculum obduruerit, festinando scilicet ad florem: tunc enim biliosum succum in se copiosum habet: ex quo satiùs fuerit, eo tẽpore elixam mandere, quàm crudam. Recentes & tenelli eius nuclei, vrinas ciere feruntur: & Venerẽ in vino generoso præmacerati stimulare, Hesiodo teste: qui florente cinara, cicadas acerrimi cantus esse scripsit, & mulieres libidinis auidissimas, virosque ad coitum pigerrimos. Radix emedullata, & in vino decocta, si bibatur, alarũ tædia hircosa, ac graueolentiam emendat: quam Xenocrates experiméto promittit per vrinas ob id effluere. Eadem in aqua excocta, stomachum roborat, & vuluis nonnihil confert vt gignantur mares: sicuti Cherias Atheniensis & Glaucias asseruerunt. Sed hoc loco tibi coniectandum relinquo, an vna eademque sit nostra & antiquorum cinara. Restat hic admonendum (quãquam præter institutum) quòd à duobus animalculis summè infestantur, & auidè expetuntur cinaræ. A muribus primùm, qui radicũ voluptate semel illecti, turmatim vel è longinquo accurrunt. A talpis præterea, quas crebro defossu & cuniculatione, sæpè vidimus cinareta ac cardueta funditùs vna nocte euertisse. Remedia eam in rem quærenda sunt ex nostris rerum hortensium Secretis. Sed repeto medica scolymi ceu cinaræ auxilia. Huius radix in vino cocta & pota, copiosam, vt tradit Oribasius, & graueolentem vrinam prolicit, alarumque hircos ac virosum corporis odorem, vt diximus, tollit. Quo nomine etiam venereæ gonorrhœæ præsens esse remedium, fœlici successu se probasse scribit Ioannes Langius, illustris. Comitum Palatinorum medicus doctiss.

Vrinę, venus & graueolẽtia alarum.

Stomachus vulua & generatio.

Pulchra & notatu digna.

Vrina, alarũ fœtor, Venus & gonorrhœa.

Cæterùm, aſparagi cinaræ cum butyro in iure elixati,ſopitam Venerem in vtroq; ſexu ſtrenuè excitant: æſtate viris ad eius conflictum languentibus, hyeme verò mulieribus ad eam pigris: ſicuti ante Plin. adnotauerũt Heſiodus & Ariſtot. Nil igitur eſt mirum, mulieres adeò ambire plantam cinaræ, & cura admodum ſolicita illam curare & colere.

Cur ſolicitè à mulieribus colatur cinara.

Fragaria & Fambroëſia cum medicis auxilijs vtriuſque. AR. V.

FRagariæ fructum vulgus Gallorum *Freſam* nuncupat, & nomine paterno inautorat Fambroëſiæ fœtum, patria lingua *Framboiſe*, ac ſi dicas fragum ligneũ aut ſyluoſum à rubẽte moro non valde diſſidens, niſi quod ſapore & fragrãtia indicibili, palato magis applaudit. Vnde cum vinum aliquod à generoſo ſapore laudare volumus, olere framboeſiam, noſtro vernaculo ſermone dicimus. Vtriuſque fructus citam ſentit corruptionis labem: quapropter febrim facilè experiuntur, qui largiùs fugaci hoc cibo veſcuntur. Fragariæ tamen folia in iuſculo cocta & ſumpta, lienoſis medentur: idemque præſtat ſuccus eorum ex melle hauſtus. Eadem folia cum radice tam vulnera quàm vlcera ſanant, muliebreſque fluxus ac dyſenterias cohibent, & vrinam cient. Decoctum herbæ ac radicis, inflammationibus iecinoris auxiliatur, & renes ac veſicam mundat. Idem ore contentum collutioniſque modo agitatum, gingiuas roborat, dentes commotos firmat, & defluxiones continet. Exſtillatitia aqua fructuum maturorum mulierculę eriſypelateas, lentigi-

Febris, lien, vulnera, vlcera, fluxus muliebris, dyſenteria, vrina, iecur, renes, & veſica.

Gingiuæ, dẽtes, diſtillatio, lentigines, calculi, inflammatio faciei.

lentiginosasq; faciei fœdationes leniunt & abigunt. Eadem epota ad calculosos, & inflammationes optimè facit, Petro Pena medico præstantiss. autore. Vinum quod ex fragis elicitur distillatione & sublimatione, aut putrefactione vlcusculis quæ in facie pullulant ab hepatis calidite, salubriter medetur, varosq;, & oculorum nubeculas, ac calidas defluxiones impositum, mirè tollit. Quin multi etiam de experimento mihi affirmarunt, elephanticorum maculas ac tubercula emendare: adhæc, herbam fragariam cum sua radice in vino coctam & ieiunis ictericis ex iusculo dies aliquot propinatam, certum illis præsidium adferre. Mora framboësij cærulea purpura nitentia condiuntur & esitantur ad voluptatem & sitim aspectu amœniore. Vlcuscula, vari, oculorum nebulę, icterus & elephanticorũ maculæ.

Grossularius, tam albus quàm ruber, & medica vtriusq; auxilia. AR. VI.

FRequens non solùm in hortis, sed etiam sepibus rusticis esse solet grossularij frutex, maximè qui baccis oneratur cãdidis, & ante maturitatem iucunda acerbitate gratis: ex quo tam pauperum quàm diuitum iuribus suo tempore innatare consueuerunt, & in dulciarias placẽtas, ac farcimina, farctáque passim transire loco vuæ acerbæ. Quo nomine etiã grauidis summè expetuntur. Est frutex alter hortensis huius ferè plumæ, rubentem ac pendulam ferens acinorũ multitudinem racematim congestam: quæ more nucleorum punici mali, abeuntem appetentiam reuocare, & nostratibus *grosella rubra vel trãsmarina* nuncupari vulgò solet. Non desunt qui putẽt id Grossularũ descriptio & vsus.

esse quod Arabes medici *Riben* appellant. Fructus vtriusq;, candidus nimirũ vel ruber, æstuantem stomachum refrigerat, & sitim restinguit: quæ cùm alios, tum maximè febricitantes excruciare solet. Vomitiones sistit, stomachum roborat, alui profluuium retinet ex flaua bile, ac ventris rosiones & villicatus hinc obortos emẽdat. Prætereà sanguinis feruorẽ demulcet, bilis acrimoniam obtundit, abundantiam fœminearum purgationum cohibet, cœliacisq; & dysentericis, necnon cholera laborantibus valde prodest. Salgamari, saccharo, aut melle vtrunq; condiunt ad anni totius vsum. Scio non deesse, qui hæc ascribenda contendant fructibus oxyacanthæ: quod vt obstinatè non nego, ita grossulis nostris conuenire de experientia probatum habeo.

Stomachus, sitis, febris, Vomitus, aluus, tormina, sanguis, bilis, menstrua, cœliaci, dysenterici & cholerici.

HORTI MEDICI CAMPVS QVINTVS, FLORES ALIQVOT, *tam odoros, quàm inodoros, nouem Areolis complectens.*

Rosæ, & medica illarum auxilia. AREA I.

Rara rosarũ excellentia.

QVoniam Rosæ, floris ac odoris raro priuilegio, inter omnes hortorũ flores vbique nobilitantur, & aspectu perquàm iucundo ac vario omnibus arrident, hortorúmque ornamenta censentur esse: idcircò si de medicis illarũ facultatibus primo loco inter flores hîc scriberẽ, precium operæ facturum me duxi. In quam rem gra-

gradum mihi ſubſternent illarum partes paucis animaduerſæ: quas antiqui ſex nobis propoſuerunt, ſcitu dignas, & in rebus medicis nequaquã neglectas. Duæ in folijs, aut ſi mauis in floribus reperiuntur. Vna, vbi calyci inſerũtur, & vnguiũ modo albicant: ex quo vnguis roſarum pars ea dici ſolet. Altera, reliquum foliorum explet. His ſuccedunt aliæ duæ, quæ veluti minutiſsima ſemina in roſarũ vmbilico flaueſcunt, tenuiſsimis capillamẽtis alligata, quorum partẽ conſtituunt granula, partem verò filamenta. Reliquæ, in ipſo roſarum alabaſtro, ſeu calyce continentur, vna in cacumine, altera in fundo. Quod ad facultates partium iſtarum attinet, folia, cor, ventriculum, iecur, & vim retentricem roborant, dolores ex caliditate leniunt, & inflammationes diſcutiunt. Vngues vtiliter inſeruntur lotionibus, fomentationibus, et clyſteribus ad inhibendas fluxiones. Floſculi medij cum ſuis fibris ac filamentis, gingiuarũ defluxus, & alba mulierum effluuia mirificè cohibẽt. Calyx, quem etiam caput nonnulli dicunt, cum reliqua parte baſis, alui fluores & cruẽtas excreationes ſiſtit. Porrò, præter ſex iam dictas partes, quæ in florentibus roſis ſe prodũt, tres aliæ in fructu reperiũtur, vbi maturuit. Vna in ſubſtantia carnis rubeſcente, altera in ſeminibus, tertia in lanugine concluſa, quibus omnibus non obſcura ineſt adſtringẽdi vis. Vnde præſtanti admodum remedio & auxilio cẽſentur eſſe contra alui fluores, & fœmininorum excremẽtorum abundantiam qualemcunque: adhæc aduerſus gonorrhœam, in qua pręcipuè valẽt. His vtcunque propoſitis, medica roſarum præſidia ſigillatim aggredior. Si corona ex nouis & recentibus

Pulchra philoſophia ſex partiũ roſæ.

Inflãmatio, fluxio, gingiuæ, menſtrua alba, alui fluor & cruenta excreatio.

Alui fluor, menſes, gonorrhœa & capitis dolor.

tibus rosarum floribus cōcinnata, capiti coaptetur, illius dolores ac molestias ex insolatu, vel ebrietate contractas, salubriter leuabit. Sed recentiū penuria, veteres madefacere poteris in aqua, addito pauco aceto, & illis cōmodè vti, Galeno monitore: qui ad æstiuas lippitudines siccarum rosarum decocto etiam vti iubet, palpebras eo per spongiam continuè fouēdo. Suadet idem ad scabiosas oculorum lippitudines ex sole & pulueribus obortas, rosis aridis in vino albo tritis, & angulis oculorū admotis, vti: modò sub somnum oleo inungantur oculi, & ægrotans ab omnibus acribus abstineat. Rosæ siccæ vino albo vsque ad tertias incoctæ, & ad colluendū continuò datæ, cruciatus dentium emendāt, maximè à causa calida. Eædem in aqua elixatæ, vel illarū flos, summo sunt remedio inflāmationibus oris, gutturis, ac columellæ. Et si rosarum vncias tres, & ouorum tostorū lutea duo vino albo læuigaueris ac cerato rosaceo exceperis, igneos & æstuantes sedis dolores mitigabis, perinde atq; etiā hæmorrhoides. Sed priusquam alia rosarū medica auxilia persequamur, iucundū erit audire Damascenum Mesuen de illarum facultatibus doctè & medicè hunc in modum philosophantem.

Lippitudo, dentes, inflammatio oris, gutturis & columellæ, sedis dolor, & hæmorrhoides.

Rosa frigida est primo gradu, sicca secūdo, ex diuersis substātijs & separabilibus composita: aquea mediocri, terrea adstringente, aērea dulci & aromatica, deniq; ignea tenui, in qua est amaror, rubor, perfectio & forma. Recentes sunt amaræ magis quàm adstringentes, & ob eam amaritudinē, succo præsertim, purgant. Siccatæ substantiam adstringentem et constipantē retinent, sed albę magis quàm rubræ. Resoluunt, aperiunt, tergent, calidas

Rosarū natura & qualitates ex Ioan. Mesue.

lidas intemperies emendant, & cogendo atque adstringendo roborant, maximè pilis & semine in calycis medio inuentis. Præstantior est in vtroque genere (albarum, inquam, & rubrarum) cui color genuinus inest, & folia adsunt pauca ac plana. Albæ nihil aut minimùm purgant, sed potentiùs adstringunt & roborant quàm rubræ. Aqua vbi recentes sunt maceratæ, vel earūdem succus, bile flaua purgat venarum & arteriarum sanguinem, obstructiones ventriculi & hepatis aperit, ictero cōfert, febribus biliosis auxiliatur, viscera roborat, cordis tremorem curat, retentricem facultatem continet, omnem inflammationem extinguit, & ab ea dolorem sedat, somnū conciliat, vuulam stringit, guttur roborat, crapulā aufert, & catarrhis obest. Cæterùm cùm sit medicamentum benignum, sed ad purgandum imbecillum, adminiculis quibusdā eget, vt sero lactis vel melle. Nam succi rosarum vncia vna, cum seri lactis duabus vncijs aut tribus, & pauca spica, commodè vacuat. Foliorum quoque sero lactis infusorum expressio, cū pauco melle, sine molestia purgat. Rosæ melle cōditæ tergent, purgant & roborāt: saccharo autem exceptæ minùs tergent, sed magis roborant & adstringunt. Acetum rosatum inflammationes omnes sedat, incidit, purgat, roborat. Recentes rosæ nullam coctionem, vel quamminimam, sustinent: nam facultas earum tergens & purgatoria, statim igni resoluitur. Succus mediocriter coquendo fit tenuior, & potentiùs terget. Hactenus Mesues, à quo ad nostrum institutum & medica rosarum præsidia commodū redeo, nihil in his prætermissurus quod apud probatos autores legerim, vel ab expertis didicerim,

Obstructio, icterus, febres, cordis tremor, inflammatio, somn*, vuula, crapula & catarrhus.

Rosę conditæ, & acetū rosatum.

Inflāmatio.

Autoris modesta excusatio.

rim, aut ipse diligenter obseruauerim. Si cui autem hîc prolixus esse videbor, id (quæso) factum putet in gratiam popularium, quorum horti & scrinia vbique rosis scatent. Verùm enimuerò, ne quid in hac historia etiam vulgare omittam, paucis rosarum Cõseruam, vt vocant, describo. Quæ fieri solet rosis tantùm rubris, recentibus, exunguatis, in mortario lapideo diligenter tritis, superaddito optimi sacchari duplo. Mox citra insolatum reponuntur omnia, sed vase nõ repleto ad cumulũ, ne tritura foras exiliat, & sit feruendi locus. His positis, rosarũ auxilia medica persequor.

Rosarũ conserua quomodo fiat.

Zoroastres in suis de Agricultura obseruationibus Græcis tradit, oculos eius dolorem non sentire anno toto, qui rosarum calyces antè quam in florem explicẽtur, leni tactu lustret, tribusq́ earum alabastrulis visum detergat, illis in rosario parente relictis. Quod multi verum esse cõtendunt, in eo qui primus calyces in frutice occultatos viderit. Vt vt fuerit, ros ille qui rosis inhæret, pinnula mũda lectus, & specillo, genarum palpebris illitus, oculorũ lippitudini medetur. Cremor è rosis aridis in vino decoctis expressus, ad capitis, oculorũ, gingiuarum & auriũ dolores summè probatur. Prodest etiã vitijs sedis, ac recti intestini, penna illitus, aut infusus. Trita rosa sacrum ignẽ, si apponatur, compescit, calentémque stomachum & præcordia mitigat: fluxum vẽtris ac matricis cum vino pota, vel infusa, cohibet. His addendum quòd siccæ rosæ puluis efficaciter medetur oris vitiis, per se, aut cum melle.

Oculi, lippitudo, caput, gingiuæ, aures, anus, ignis sacer, stomachus, præcordia, venter, matrix & os.

Rosaceam aquam, vi ignis diuersis instrumentis extractam, hîc conticeo. Quã multò præstantior ac odore fragrantior solet esse, quæ vasis in

Aqua rosacea quomodo eliciẽda.

in aquam feruentem ſuſpenſis, aut priſcorũ more, per balneum calẽtis aquæ, vitreis organis elicitur, quemadmodum alibi docebimus. Hoc poſtremum erit. Roſæ, vt flores alij, Sole blando, vel clibano, pane ablato adhuc calente, ſiccatæ, odorem ac vires magis retinẽt, quàm ſi in vmbra ſiccentur, modò metam moræ non excedant. Idẽ de folijs & radicibus odoratis exiſtimare tibi licebit. Quod pro reliquis floribus ſemel dictũ ac ſcriptum velim. Superſunt multa roſarum occulta miracula, quæ tibi cum alijs plerisque hactenus deſideratis, libenter in noſtris rerum medicarum arcanis aliquando impertiemur.

Flores odorati, radices & folia quomodo ſiccari debeant.

Lilium hortenſe, & medica eius auxilia.

AREA II.

QVia Lilium Roſis nobilitate proximũ eſſe ſcripſit Plinius, & medio prouẽtu earum incipere, ideo ſecundum, poſt roſas, locum illi dabimus, vt eximium florũ par, &, vt Græci loquuntur, ἄνθος ἀνθῶν roſa & lilium ſocio maritentur cõnubio: ob perẽnem illum ῥοῦν effluuiúmve diuini quem habent odoris. Hilariter itaque de flore illo perquam nobili ſcribã qui Regibus noſtris & frãcigenis ſceptris auſpicatiſsimum dedit ſymbolum: & quibuſdam ob inſignem præſtantiam flos regius, & Iunonis roſa dici conſueuit, candore emaculato et odore eximio arridẽs. Huius radices ex vino potæ, contra ſerpẽtium ictus plurimùm valent: & ex mulſo propinatæ, inutilem ſanguinem per aluum detrahunt, ac ita lieni ſummè proſunt. Lichenas ac furfures in facie emendant, & corpora erugant. Cum adipe & oleo deco-

Serpentes, ſanguis, liẽ, lichen, furfures, aduſta & matrix.

Vulnera, vulua, sudor, suppuratio, serpẽs, adusta, vlcera, nerui, luxata, vtiligines & pedum claui.

decoctæ, adustis prosunt, ac iisdem pilos reddũt, induratásque matrices remolliunt. Folia in aceto elixata, vulneribus efficaciter imponuntur: & succus ab iisdem expressus, ad vuluas erugandas vtilis est, mouendósque sudores, et excoquendas suppurationes. Auxiliantur eadem serpentium morsibus imposita, et adustis feruefacta. Radices tostæ cum rosaceo, vlcera cicatricibus claudunt, & cum melle neruis præcisis admotæ, luxatísque partibus, maximè succurrũt, ac vitiligines emaculant. Quod etiam præstant elixata folia, cataplasmate facto: è flore lilij succus exprimitur suppurationes cõcoquens & vuluas emolliẽs: quod mel & syrion veteres appellarunt: non autem syræon vt multi scribunt: quod est melligo è coctis caricis, detergendo, emolliendóque idoneũ. Valet radicum bulbus ex vino coctus & intritus, ad pedum clauos: sed hinc amouendus non est, nisi cùm lux tertia venit. Testium inflãmationes cum hyoscyami folijs & tritici farina etiã leniunt ac demulcent dictę radices. Fit aqua è floribus liliorum, vitreis organis in Mariæ balneo excepta (vt proprio scribemus opusculo) ad facies mulierũ erugandas, & niueo candore illustrãdas, summè expetita. Radix quomodocunque ponatur, hæmorrhoides aperit. Et vnguentum ex ea factum cum oleo amygdalarum amararum et cera alba, mirandum in modum erugat, terget & expolit faciem muliercularum. Eadem in aqua elixata, vel sub prunis cocta, & cum dulci oliuo subacta, singulare adfert præsidium combustis tam igni, quàm aqua, ex Galeni & Auicennæ testimonio. Si in aceto coquatur, calida testiculorum apostemata emendabit: & si cum melle teratur, caput à furfuri-

Inflammationes testiũ.

Faciei decor.

Hæmorrhoides, facies, combustio, testiculi, furfures, vlcera capitis, splẽ, & ictus venenatorum.

furfuribus, tonſum & vnctum vindicabit. Prodeſt etiam ad vlcera capitis manantia. Aceto incocta folia, & ſpleni admota, vnicè cōferunt contra illius duritiem & ſcirrhum, modò quid eorū decocti præbibatur. Succus etiam eorūdem cum ſemine tritus & hauſtus, pūcturis venenatorum mirè auxiliatur: & expreſſus de floribus ſuccus, vomicas vteri valde iuuat. Præterea, radix ſub prunis cocta, & oleo ſubacta, vteroq́ per linteolum immiſſa, menſes trahit, matricem emollit, & vuluam aperit: adhæc ſemen vino albo intritum ac epotum, fœtum mortuum celerrimè educit. Oleum ex floribus recēter confectum & croco coniunctum, omnes inflammationes diſcutit. Fotus pudibundorum mulieris ex aqua decoctionis foliorum, & radicis, plurimùm valet ad mouenda menſtrua, quæ à partu cum ſecundis excludi debuerant: ſed poſt fomentum, debet in eodem decocto linteolum tingi, & vſque ad os vteri immitti, & exteriùs fotus continuari. Sit hoc poſtremum: Radix cum allijs cocta, & in fæce rubelli vini trita, mulierum faciem, quæ poſt dolores partus diſcolorata remanſit, perbellè emendat ac reſtituit, ſi hiſce miſcellaneis ſero inungatur, & mane aqua hordei detergeatur, idq́ toties repetatur, donec priſtinum decus, ſed maiore cum elegantia, reſumpſerit. Quod ruſticis mulieribus puerperis (quibus allia ſuauiter olēt) ſcriptum ſit, non vrbanis, & aulicis, quæ moſchū olere, ac roſas vbique ſpirare ſatagunt. Sed heus tu? non redolet, ſed olet, quod redolere ſolet. Nec cuiuis bene olet, quod bene ſemper olet. Verùm hæc nihil ad hiſtoriam noſtram.

Vteri vomica, menſes, vulua, fœtus, inflāmatio, menſtrua, ſecundæ, & diſcoloratio faciei poſt partum.

Leuconij & Violarum congenerum medica auxilia. AR. III.

INuenio summum honorẽ fuisse Violis apud antiquos, post Rosam & Lilium. Quarum genus omne partim *Violetæ* nomine, partim odore garyophylli in hortis, & illorum macerijs, ędificiorumq́; ac templorum parietibus familiariter hærere videmus: & omnium maximè lutearum, Mauritanis & pharmacopœis *Keiri* nuncupatarum. Quæ Veris sunt preuiæ, & omnium fragrantissimæ. Sunt etiam in fenestris & pẽsilibus hortulis genera omnia frequentissima, figulinis aut ligneis vasis, à mulierculis, & his qui claustra sequuntur, studiosè exculta, mira sanè coloris, albi, purpurei, cœrulei, crocei & vermiculati, varietate, odorisq́; suauitate, vel eminus commendata, ditissima peræquè omniũ fœtura. Sed maxima autoritas luteolis esse solet: quæ omnium primæ emergunt, & odorem vsque adeò vehementem spirant, vt caput plerunque tentet, ac nares feriat. Hæ, luteæ inquam violæ, parietinis sponte vernant & florent, hyemis, glaciei, niuis, grandinis & aliarum aëris iniuriarum patiẽtissimæ, lignosa radice ac fibrosa, rimis parietum & commissuris adeò incuneata, vt vix hinc diuelli possit. Has quandoque Christi natalibus floribus luxuriare vidimus. Verũenimuerò hæc ad medicas violarum facultates nihil attinent, quas nunc demum explicare iuuat. Aridi flores Leuconij feruefacti, menstrua educũt, oris vlcera cum melle sanant, cum cerato rimas sedis emendant, & in desessionibus, vt scribit Dioscorides, contra vuluæ inflammationes plurimùm pol-

Violarũ dignitas & cultus.

Violæ luteæ præstantissimæ.

Menstrua, oris vlcera, rimæ sedis, vulua, lien, podagra, menses, par-

pollent. Radices cum aceto illitæ, lienem reprimunt, ac podagricos valde iuuant. Semen vnius drachmæ pondere ex vino potum, aut cum melle, genitalibus mulierum inditum, menses, secundas, ac partus, etiam mortuos, extrahit. Frutex omnium, ex Galeno facultatem habet extergentem, ac tenuium est partium: plus tamen flores, & inter hos qui sunt sicciores, quàm virides, exhausta excrementia omni humiditate: vnde oculorum cicatrices, etiam crassas, extenuant. Si quis vehementiam virium quæ in floribus latitat, multa aqua, aut aliter retundat, optimum habebit medicamentū ad phlegmonas tam vteri, quàm partiū aliarum: potissimùm quæ diuturno tempore ad scirrhi modum indurerunt: sic cum cerato vlcera ad cicatricem ægrè venientia valde emendabit. Sunt qui phlegmonas in articulis induratas, radice cocta, trita & apposita curant. Semina lutearum in vino albo contusa (si febris absit) & hausta, menses potenter educunt, & fotu, frigidæ podagræ dolores leuant. Flores earundem, dimidio cyatho in aquæ tribus, eosdem menses, diebus aliquot hausti, euocant. Hîc adnotandum duxi, quia in nostris hortorū secretis omissum, quòd mangonio holitorio, & repetita crebriore transplantatione, tum lutearum, tum purpurearum violarum flores, vt etiam aliarum, eximiam assequuntur magnitudinem multiplici foliorum fœtura, moschatā rosam quandoque æquante.

tus & secundæ.

Oculi, phlegmone vteri, vlcera, articuli, menses, & podagra.

Viola Martia nobis dicta, & medica eius auxilia. AR. IIII.

Viola cur Martia nobis dicatur.

IN eo violarum genere, quas Martias nũcupamus (fortasse quòd mẽse Martio plurimùm se prodant, & Ver aperiant) non solùm purpureæ apud nos visuntur, sed etiam albæ, æquè suaues & odoræ atque priores: licet id non agnoscat Andr. Matthiolus medicus doctiss. ac diligentiss. sicuti apud Dioscoridem testatũ reliquit. Quod ad illarum vires & facultates attinet, Tarẽtinus in Græcorum agricultura & medicina exercitatissimus scribit, flores Violæ purpureę refrigerare, & ea de causa inflãmationibus prodesse, perinde atq; oleum, & acetum, vt mox dicemus, ex illis compositum. Aqua infusionis & macerationis earundẽ, vlcuscula in ore paruulorum oborta, ac apostemata valde emẽdat, & pleuritidi, anginæ, tumoribúsque thoracis summè auxiliatur. Valent etiam flores ijdem aduersus crapulam & capitis grauedinẽ olfacti, vel coronæ modo sincipiti admoti. Addo quòd epileptici odore violę (fortassis luteæ) summè recreantur, ac nonnihil iuuantur, & maximè pueri: nec tantùm odore, sed etiam potu aquæ, in qua illius flores permaduerint. Radices cum myrrha & croco tusæ, inflammatis oculis mirè opitulantur: & trita folia cum melle & aceto, capitis vlcera sanant. Eadem elixata omnem matricis tumorem curãt, si tepida elixationis aqua vterus foueatur. Prosunt etiã in cerato fissuris ani, quas rhagadias nuncupant. Semina cũ vino albo trita, calidã podagrã fotu recreant: cui succedere debent folia in rosaceo tusa, & ex linteolo apposita ac subinde mutata. Penè præteribam quòd dicta semina vino albo (si febris absit) intrita & pota, choleram, modo rhabarbari, ex ventriculo exturbant. Quod etiam

Inflãmatio, vlcuscula oris, apostema, pleuritis, thorax, crapula, grauedo & epilepsia.

Oculi, vlcera capitis, matrix, rhagadiæ, & podagra.

etiam præstare ferunt virentia folia, aut flos in aqua vel oxymelite, multa maceratione permutatus. Quin & biliosos morbos, vel è sanguine factos, costales & pulmonarios, vt diximus, idem etiam iuuare solet, ac infantulorũ tusses & suspiria componere. Folia eadem per se, & ex polenta, æstuanti stomacho, et oculorum inflammationibus, sedíque prociduæ aptissimè illinuntur. Hîc me subinuitat commune iuuãdi studium, vt non omittã vnum ac alterum Violarum arcanũ, mihi à medico Italo, haud ita pridẽ familiariter impertitum, sed quod postea apud dignum fide autorẽ legi & adnotaui. Si os capitis, dicebat, adolescenti, vel alteri, violenter tactum fuerit, da illi statim bibere violas tritas, & id dies aliquot facere perseuerà. Præterea, si cuipiã pes dexter læsus fuerit, liga violam cum vino tritam sub planta pedis sinistri: si sinister, sub dextra. Rem vtrãque facili experimento excutiendam, rerum abditarum studiosis propono. Sed Ioannem Mesuæ de Violarum facultatibus differentem iuuat in medium accersere. Viola recẽs, inquit, frigida est & humida ordine primo: siccata, minùs. Nam in recẽte excrementosa humiditas superficiaria, quæ lubricando purgat, caliditatem obtundit: in sicca, humiditate illa resoluta, caliditas priùs obruta emicat: ex qua emergit sapor amarus, qui trahendo purgat. Recens ergo refrigerat, dolores calidos, narcoticorum et stupefaciẽtium modo sedat, inflammationes extinguit, thoracem & asperam arteriam lenit, bilem flauã purgat, & ab ea calorem sequestrat. Somnum præterea conciliat, vuulæ confert ac cynanche, cephalalgiam à causa calida consopit, hepatis phlegmonem &

Bilis, sanguis, pulmo, tussis, suspiria, stomachus, oculi, & sedes procidua.

Vulnus capitis, & pedum læsio.

Violæ recentis & siccæ temperamẽrum.

Inflãmatio, thorax, aspera arteria, bilis, sõnus, cynanche, cephalalgia, hepar, ictelrus, coryza, & sitis, febris.

 eius

eius obstructionem, vnà cum ictero valde iuuat, sitim sedat, & febres inflammatorias mitigat, sed coryzam excitat. Cæterùm, eligenda & decerpenda est matutina viola, cuius virtutem neque Solis calor resoluit, neque pluuia dissipauit. Si melle condiatur, magis terget ac minùs refrigerat, cum saccharo contrà. Succus, atque syrupus ex multa repetitáque eius infusione concinnatus, leniendo, clementer, vt ex rosis, purgat: datúrque vtiliter pleuriticis ad ducendam aluum. Acetum similiter compositum, febrium ardores emendat. Hactenus Mesues, cum quo medicam hanc Violarum historiam claudimus.

Vetonica hortensis, seu vetonicum coronariũ, aut caryophyllatum, & medicā eius auxilia. AR. V.

Altilis Vetonicę pulchra historia.

GAllorum vulgus altilem Vetonicam & coronariam *Ocellum* seu *Oillethum*, à floris figura nuncupare solet: quæ tantam gratiam apud mulierculas, et monachos, inuenit, sui odoris iucunditate & coloris pręstantia, vt tam in hortis, quàm fictilibus, cura admodum diligēti ab illis, etiam fenestratim, excolatur ac foueatur. Flores caryophyllum olent (vnde illis caryophyllati nomen) & aliquid suauius, artificio et mangonio in nostris hortorum Secretis expresso. Mirum sanè est, quòd tam illustris flos, tam suauis & iucũdus, à veteribus silentio inuolutus fuerit (quamquam nō desunt qui Lychnidē coronarium esse putent) qui vnus pulchritudine, varietate & amplitudine, cũ rosa de principatu vel ad victoriã, non temerè mihi certare videtur: ei nec colore

Vetonica hortēsis priscis incognita.

cedens,

cedens, nec odore: nisi quòd è longinquo plus olet recens rosa, sed cui decerptæ, natiui vigoris longissima mora dies esse soleat: vetonicæ, quatriduum, vel ampliùs, vita, vigórque perseuerat. De eius facultatibus & medicis auxilijs, & si ne verbum quidem, quod sciã, prisci rerum agri & medicinę cultores scripserint, nihilominus de illis quæ ab Andrea Matthiolo adnotata legi, libẽter proferam. Calida, inquit, & sicca facultate pollere vetonicum indicio esse potest odoris fragrantia & saporis amarulentia quædam: flores, præsertim purpurei, præstant ad omnes cordis affectus: nempe ad animi deliquia, & cordis ipsius tremorem. Præstant item ad vertigines, epilepsiam, paralypsim, & cõuulsiones, ex vetonicæ vel amaraci decocto poti: asseruantur saccharo perinde ac rosæ: vtiles admodum non solùm ad prædicta omnia, sed etiam ad cuncta venena, & venenosorum ictus. Dantur ad intestinorum animalia necanda, & aduersus pestilentiæ contagia. Valentiùs tamen id facit succus ex vniuersa planta expressus: Nam is haustus quat. vnc. pondere, vbi morbus inuaserit liberat. Fit etiam è floribus acetum præstantiss. Quæ de hyacintho circunferuntur, nihil, quod dicunt, ad hanc Parmenonis suem. De agresti Vetonica, & eius facultatibus, præter ea quæ à Græcis & Arabibus tradita sunt, extat pulcherrimus & elegantiss. libellus Antonij Musæ D. Augusti medici, ad M. Agrippam. Agrestis Vetonica ab Ant. Musa descripta.

Phlogium, & Bellis hortensis, cum vtriusque medicis auxilijs. AR. VI.

Plantæ & floris inodori genus illud quod gallicũ vulgus *Penseam* vocat, & pharmacopœorũ collegium, Trinitatis herba, à triplici florum colore, Phlogiũ proculdubiò mihi esse videtur: à Petro Pena medico doctiss. et eloquẽtiss. Viola flãmea nũcupatum, vere statim post violã purpuream emergens, & flosculum coronis sanè quàm aptum, folio triquetro gerens, colore vbique commendato, licet inodoro, vt anteà diximus. Durat inter flores longo tempore: nam in autumnum, imò etiam in hyemem his prorogatur locis & hortis, in quibus cœlum clementiùs arridere solet, & vigilis adesse cura coloni. Quod attinet ad medica eius auxilia, hoc idem possum testari quod de superiore, nimirum nihil extare, quod sciam, apud Græcos, Mauritanos, ac Latinos medicos. Scribam tamen ex quorundam experientia, quòd planta hæc maximè probatur ad glutinanda vulnera, tam exteriùs illita, quàm interiùs sumpta: adhæc ad enterocœlas. In quem vsum puluerem eius, mensura dimidij cochlearis, ex vino austero, fœlici successu propinant. Sunt qui plantam ipsam ægrè spirantibus, & pulmonum inflammationibus non obscuram opem ferre tradant. Quin & scabiem sanare, & cætera cutis vitia delere affirmãt. Probatur etiam ad puerorũ tormina stillatitia eius aqua hausta, illiniturq; herba tota, vel pabulo datur ad porcorum anginas.

Phlogij pulchra & elegans descriptio.

Vulnera & enterocœlæ.

His positis, transeo ad Bellidem, seu Bellium hortense (nam campestre quoq; & pratense spectatur) de quo, priùs quàm medicè aliquid proferam, monebo quòd flores eius à Gallis *Margaritæ* vulgò nuncupantur, & à nostratibus Borbo-

Florum Bellidis nomenclatura.

nijs

nijs *Pasquetæ*, fortasse quòd circa Pascha oriri incipiant, vel quòd grato & vario colore, licet inodoro, oculos pascant. Sed hæc nihil ad medicam historiam, de qua nunc demum paucis agendum restat, ex recentiorum obseruatione: nam nihil ab antiquis scriptum quoque reperio. Bellis itaq; trita per se, vel cum artemisia, perbelle strumas emendat. Laudatur etiam ad Podagras, ischiadẽ & paralysim, vndè à nonnullis herba paralysis dici solet. Valet præterea, ad capitis fracturas, & thoracis vulnera, quę in eius cauitatem penetrãt. In quem vsum, succus potionibus ritè quoque admiscetur. Huius folia commansa tum oris, tũ linguæ exulceratas pustulas sanant: eademque tusa genitalium inflammationes extinguũt, ac etiã resoluunt. Herba ipsa recens in acetarijs deuorata astrictam aluum lenit: id quod etiam præstat ex iure pinguium carnium, vel cum recenti butyro decocta. Sunt qui plantam eam ad consolidam minorem referant.

Strumę, podagra, ischias, paralysis, capitis fractura, & thoracis vulnera.

Iris, & medica eius auxilia. AR. VII.

IRis quòd folium habeat in speciem gladij mucronatum, quibusdã Galliæ partibus *Glaiutũ*, ac si diceres gladiolum, vulgò nuncupari solet: & à cœruleo ac versicolore flore cœlestem arcum imitante, *Iris*. Cui flores, præter cœruleum, insunt albi, pallidi, lutei, & purpurei, artificio in nostris hortorum Secretis descripto. Rura alicubi *Flammam* vocant: ob rutilum, vt arbitror, ignis fulgorem, radiantibus aliquot lineolis, intus ex-

Iridis nomina & eorundem ratio.

aratum: vel quòd calfaciat, vt flamma, ficuti recentes eius radices indicant. Quas fundit geniculatas, & fummè odoras: vnde plerique fub veris exitū illas terra eruunt, & per circulares taleolas diffectas in vmbra ficcant, filóque transfutim exceptas, recondunt. Alij lixiuio eafdem macerant, ad abfcorbēdam & exhauriendā fucci excrementitij fobolem, qua tinearum iniurijs funt opportunæ, deinde ficcant. Nam teredines, non ficcæ modò, verùm & in terra virides celerrimè fentiunt. Ita curatæ armarijs imponuntur, vt odore per quàm iucundo, veftes ac lineam fupellectilē imbuant, & commendent. Sed hæc, fi placet, mulierculis tractanda relinquamus, & medicas Iridis facultates fedulo excutiamus. Radici vis ineft excalfaciens atq; extenuans, qua dote contra tuffim efficax effe cenfetur: nam craffitiem humorum, qui ægrè reijciuntur, digerit, atque hinc torminibus medetur. Cum aceto, lienofis, perfrigeratis, cōuulfis, & quibus genitura effluit, fummè prodeft, coctaque cum vino & haufta, tardantes menfes euocat, necnon excreationes faciles reddit. Lumbis & coxendicibus ex refina vtiliter illinitur: naribufque ritè inditur puluis aut fuccus fternutamentis mouēdis. Caput purgat, lachrymas elicit, & fuo iufculo orthopnœas difcutit. Oris fœdos halitus commāfa abolet, alarumque tædia & graue virus fotu emēdat. Vinū decoctionis eius tuffim fedat, & foporem cōciliat. Puluis ex vino propinatus, fi febris abfit, faniem tenacē, quæ præcordia lædit, & thoraci molefta eft, miri ficè expellit & deturbat. Idem cum aceto grauia tormina compefcit. Fiunt è radicibus cum melle admodum efficaces compofitiones ad fecundas

Vfus œconomicus radicū iridis.

Tuffis, tormina, lienofi, perfrigerati, conuulfi, gonorrhæi, menfes, excreatio, lūbi, fternutatio.

Caput, orthopnœa, oris halitus, alarū tædia, tuffis & fopor.

Thorax, tormina, fecundæ, coxēdix, Vterus, vlcera & fiftulæ.

das educendas. In dolore coxendicum ſuccus recētiſſimæ radicis vtiliter clyſteribus infunditur, fotuſque decoctionis eiuſdem, fœminarum incommoda ad vnguem leuat, duros earum locos emolliendo, & contractos relaxando. Eadem radix arida, & in pollinē redacta, vlcera purgat, ac fiſtulas ſinuſque replet. Valet etiam ad paronychias, & cū vino ad clauos ac verrucas. Oſſa fracta, cum melle impoſita, extrahit: & nudata, carne veſtit. Lentes præterea & cutis vitia emaculat, dentiumque cruciatus demulcet, ſi eius decocto foueantur, & frigida ſit cauſa doloris. Vlcerum ſinus laudabili carne replet: & ſi mel accedat mūdificat. Quod etiam præſtare fertur puluis ex cōbuſto oſſe mortui hominis, modo aloē & melle excipiatur, & in vlceris fiſtulam inijciatur, quem admodū ſcripſit Rhazes. Sed hæc ad noſtra medicinæ Secreta reſeruanda erant. Radix iridis in puluerem redacta, & oleo de Spica ad linimenti conſiſtentiam excepta, caput à pituitoſis excremētis tis ſuaui admodū odore, per nares liberat, ſed repurgato priùs toto corpore. Succus ex ijſdem radicibus, inſertus naribus, fœtorem illarū emēdat & cum aceto hauſtus, ſplenis dolores obolet. Hic tēpeſtiuum eſt, vt Ioan. Meſue audiamus. Iridis radix, inquit, calida eſt & ſicca ordine tertio, necnon acris: Deterget, reſoluit, coquit, lenit, aperit, dolores ſedat, pituitā viſcoſam, & miſtam illi bilem purgat, necnon ſeroſas aquas, eaq́ omnia clementer. Lentam & hærentē materiam craſſam in thorace ac pulmone coquit, tenuat, ac promptè educit, viſceraq́ omnia expurgat. Hepatis quoq́ & lienis ac vicinarum partiū obſtructiones tollit, & affectus ab ijs excitatos, hydropem, dolorem,

Paronychiæ, lentes, claui, verrucę, oſſa cutis, dentes & vlcera.

Caput, nariū fœtor & ſplen.

Pituita, bilis & aquæ ſeroſæ.

Thorax, pulmo, lien, hepar, viſcera, hy-

drops, tēſio, dolor, ſtrumę, tumores & cephalalgia.

rem, tenſionem, duritiem, ac ſimiles, ſanat aut lenit. Omnes quoque tumores, etiam duros, & ſtrumas digerit, præſertim neruorum & iuncturarũ: maximè cum betæ vel braſſicæ ſucco, aut vino, & melle ac oleo chamæmelino. Præterea, veterem cephalalgiam ſanat, præſertim cataplaſmate impoſita, & ſucco eius in nares attracto. Nam ſternutamentum mouet, quod excrementorum vim maximam per meatus occultos in partes alias defluere paratorum, retrahit & foras ducit. Cum

Tuſſis, aſthma, vterus, dentes, rheuma, hęmorrhoides & maculæ faciei.

ſapa tuſſim veterem ab humore craſſo, vel lento factam, multùm iuuat, & ab eodem ſpirandi difficultatem. Vterum præterea expurgat: & peſſo impoſita, vel emplaſtro admota, eius dolores ſedat, menſes euocat, abortum facit. Iſchiadi ſaluberiter clyſtere iniijcitur, aut emplaſtro apponitur Si aceto cui incocta fuerit, os colluitur, dentium dolorem leuat & rheumatiſmum ſiſtit: adhæc ſuppoſita hęmorrhoidas aperit. Succus eius cum farina fabarum & cinerum illitus, faciem expurgat, eiuſque maculas deterget. Porrò, ne ventriculum lædat, ſumitur ex mulſa & pauca ſpica, vel cum ſero lactis, melle & maſtiche. Hactenus Meſues. Paulus Aegineta tradit, obolos octo, ſeu ſcrupulos quatuor, purgare agarici modo, niſi fuerit antiqua & perforata radix. Dioſcor. doſim

Electio, collectio, & notę præſtantis Iridis.

Sternutamentum.

illo amplius auget. Teri & coqui poteſt mediocriter. Eligenda quæ eſt crebrò geniculata, denſa, ex albo rufeſcens, frangi contumax, odore violæ aromatico, ſapore acri ac mordente, & dum tunditur, ſternutamenta excitante. In quo Florentina & Narbonenſis noſtræ præfertur: & bonitatis rationem ſecundam habet, cui flos ineſt cœruleus: nam albus, vt reliqui mangonio acceſſiti, ad omnia

omnia inbecillior cenſetur. Colligi debet, incipiente florum defluuio. Fit ex ea oleum irinum dictum, ad multa valde efficax, vt in opuſculo hortenſium oleorum aliquando ſcribemus, cum aliis pleriſque, fauente Domino, legi ac aſpici dignis.

Amaranthus, & medica eius auxilia.
AREA. VIII.

Etſi à Plinio Amaranthus ſpica purpurea verius dicatur, quàm flos, illum nihilominus in cenſu florum hîc adnumerabimus, quòd eo nihil ſit aſpectu gratius ac iucundius. Tyrias enim purpuras flammeo nitore vincit. Ex quo Gallis non ineptè *Paſſeuelutum* nuncupatur: nam eum holoſerico coccineo, quod *Carmœſinum* dicunt, de coloris præſtantia certare videtur, abſq; vllo tamen odore: mirumque eſt quod cum deficere cuncti flores, ille madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas pulcherrimè nectit: hinc dictus Amaranthus, quòd non marceſcat, ita Græcam nomenclaturam vſurpante Latio. Ex recentium medicorum iudicio, facultas illi ineſt frigida & ſicca: vnde flos eius ex iuſculo potus, dyſentericos & cœliacos iuuare traditur: adhæc menſium abundantiam, & albas vteri fluxiones cohibere. Quinetiã cruenta expuentibus prodeſt præſertim ſi in pulmone, vel pectore vas aliquod fractum fuerit, vt ſcribit doctiſs. & diligentiſs. medicus Andr. Matthiolus ſuis in Dioſcor. commentarijs. Non deſunt qui tradant ſtomacho aduerſari, licet cũ vino vomitus ac fluxiones ſiſtat.

Pulchritudo Amarãthi & eius nomenclatura.

Dyſenteriei, cœliaci, menſes vteri fluxiones, cruentæ expuitiones, vomitus & fluxio.

Vomitus & fluxiones.

Flos

Flos in aqua maceratus, vinum ementitur, grata febricitantibus impostura, quo benefico inuento illos sępenumero delusimus, ac summè iuuimus. Sit hoc postremò loco in virginum & puellarum gratiam scriptum. Amaranthi flos, furni tepore, post ablatum panem, siccatus, mira coloris præstantia, ad coronarios hyemis vsus seruari potest, etiam in septennium vsque, vegeto & eleganti colore.

Solsequium, & medica eius auxilia. AR. IX.

Solsequium à multis falsò existimatur esse Heliotropium, siue maius illud fuerit, siue minus. Non q; Solē non sequatur, vt mox dicemus, sed quòd pictura ei planè repugnet. *Calendula* officinis vulgò nuncupatur, quòd singulis ferè mensium calendis florere, vel (vt alijs placet) fruticare deprehendatur, Poëtæ Caltham, & Galli *Solsiam* nominant, ac si diceres *Solsequiam*, quòd eius flores Solem ab ortu per meridiem ad occasum tendentem notabili conuersione sequantur, ac si eius spiraculo recrearentur: tantus est syderis amor, & occulta cum ijs floribus sympathia. Hinc nimirum planta hæc Rusticorum horologium & Solis sponsa, ac solaris herba nuncupatur, sicuti fusè & apertè ostendimus in nostris Naturæ arcanis, & alibi. Venio ad medica solsequij auxilia.

Solsequij nomenclaturæ, & earundem ratio.

Suffimentum ex siccis eius floribus per vuluas receptum, secundas morantes trahit: & ijdem recentes in vino macerati & poti, mēses cient: sed multò efficacius id præstat herbæ succus: quo, in dentium dolore, si os cum tantillo vini, vel aceti calidi-

Secūdę, menses & dentiū cruciatus.

lidiuſculi colluatur, præſentaneum adfert remedium. Rem eandem facit folium, digitis vtcunq; emollitam, & crucianti denti appoſitum, ſed illud igni oportet ante admouere. Quia frigidum, vt venerandus ille medicinæ parens Hippocrates noſter ſcripſit, neruis, dentibus, oſſibus, cerebro & ſpinali medullæ ſummè inimicū, ac valde infenſum eſſe ſolet. Sunt qui Solſequij aquam omnibus oculorum morbis conducere aſſerant, tam à calore quam frigore: adhæc capitis dolores tollere. Hîc penè tacebam & prætéribam ſecretum magnum mihi, & amicis meis, qui naturæ abdita per experimenta ſcrutantur, ſæpenumerò probatum & obſeruatum. Si quis initio peſtilentialis febris vncias duas ſucci calendulæ biberit, deinde in lectulo bene opertus ſudauerit, liber ab ea labe reſurget. Quod Alexandro Benedicto ſicuti acceptum libenter ferimus, ita tibi libentius offerimus ac impertimus. Sunt medica aliquot huius plantæ ſecreta alia, paucis intellecta, quæ cum pleriſque hactenus deſideratis ex tenebris tibi in lucem aliquando proferemus. Hâc ſolſequij narratiunculam claudebam, dum medicinæ candidatus quiſpiam familiaris meus, familiariter, vt ſolet, me inuiſit. Qui poſtea quàm legit hanc facultatum ſolſequij hiſtoriam, fidem mihi fecit ſe cognouiſſe monachum quendam qui quartanas curabat propinato ante acceſſionem vino albo, in quo ſeptem grana ſolſequij detrita fuerant, repetito dies aliquot hauſtu: Quod hîc te ſcire libenter volui, & vnà commonefacere, quòd calendulæ ſeu ſolſequij folia etiam iuſculis imponuntur, guſtu & odore non ingrato, Acetarijs inſuper remiſcent mulierculæ,

Oculi, capitis dolor.

Peſtis.

Febris quartana.

vti etiam flores, ad cordis affectus, icteritiam & fœdos virginum colores, ac respirandi difficultatem. Ius & teneræ cymæ luteo ouorum in placentam exceptæ & mansæ, fluentes nimium menses sistere, & cunctãtes impellere compertum est. Autor doctiss. medicus, & rei herbariæ peritissimus Petrus Pena.

HORTI MEDICI CAMPVS SEXTVS, CONTINENS PLANTAS *aliquot non esculentas, areolis vndecim.*

Absinthium, & medica eius auxilia. AREA I.

HIC naturam rerum omnium parentẽ imitabor, quæ sicuti per vastam mũdi vniuersitatem iucundis ac lætis tristia miscere solet, adhæc dulcibus amara: ita ego in hac hortensiũ medica historia, suauibus insuauia miscebo, & gratis ingrata. Itaq; post odoratos flores & plantas, nunc demũ inodoras & insuaues herbas aliquot describam, ab Absinthio gradum mihi omnium primum faciens, quod tam odore, quàm sapore, iniucundum esse nemo nescit. In genera tria illud distinxerunt prisci. Vnum vulgare nuncupantes, quod Galli *Aluinam* vocant, ac si diceres, *aloinam*, ab insigni aloës amarore, quem refert. Nostrates Borbonienses *Fortum* appellant, à forti ac vehementi eius odore & sapore: cui Ponticum Galeno simile esse traditur. Alterum Seriphium vocant seu marinum: cuius semine medici necem moli-

Absinthij genera tria, & eorundem nomenclaturæ.

moliuntur vermibus, ac lũbricis corporis, & ob id Semẽ contra lũbricos dictitant: Gallicũ vulgus *Barbotinam, & vermium mortem* nuncupat, easque nomenclaturas officinæ egregiè norunt. Tertium quibusdam Romanum, nobis Santonicum, gentili regionis vocabulo, dicitur: quod vt reliquis minus est, ita amarore multò mitius, folijs constans albicantibus, lenibus & planis: adhæc odore iucundo, & gustu non valde insuaui. Hodie apud nos in multis hortorum areis seritur & acetarijs remiscetur, summo ventriculi & hepatis commodo. Sed his neglectis ad facultates & medica omnium præsidia transeundum est. Absinthium decoctum, sui vaporis suffitu, dentium ac aurium dolores tollit: hisque vtiliter instillatur, si manauerit sanies. Potionibus à multis improbatur, quod stomacho & capiti dolorem inferat, præsertim vulgare, licet illis prosint folia admota. Cruditates cum pipere, ruta, sale & vino abigit: ac thoracem cum iride purgat, & maximè Santonicum. In aqua pluuia decoctum, & sub dio perfrigeratum, ventriculum & hepar summè roborare creditur, ac lotium potu elicere. Ad regium morbum bibitur salubriter cum apio, vel adianto: & cum melle sumitur efficaciter, aut ex vellere imponitur laudabiliter ad menses trahendos. Sanat pruritus fotu suæ decoctionis, & nauseas maris arcet in nauigationibus potum ex vino, vel olfactum, aut è regione ventriculi appensum. Reliquas facultates & medica præsidia facillimis versibus, & plane medicis, expediet herbarius vates, de absinthij planta in hunc scribens modum,

Ventriculus, hepar, dentes auris, cruditates & thorax.

Lotiũ ictee, rus, menses, pruritus & nauseâ.

Splen, venena, fuggillata, angina, vulnera, capitis vlcera, inguina, aures & splen.

Et splenem adiecto potata iuuabit aceto:
Sic quoque fungorum depellet sumpta venenum,
Necnon lethiferæ cum vino damna cicutæ,
Atque venenatis occurret morsibus hausta,
Ac suggillatis superaddita ritè placebit:
Subuenit anginæ, melli nitroq; iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus, illis
Si superaddatur, capitis sic vlcera curans.
In lini panno si circumcincta geratur,
Inguinis immodicum fertur cohibere tumorem
Auris depellit sonitum cum felle bouino,
Ac durum splenem illius cataplasma resoluit.
Ex oleo fuerit viridis si cocta, iuuabit

Stomachus, lingua, & oculi.

Non modicè stomachum qui sit hoc vnguine fotus.
Sub lingua factum curat cum melle tumorem:
Liuoremq; nigrum, qui circa luminis orbem
Apparere solet, sanabit idem medicamen.

Capilli, somnus, ventriculus, vestes & libri.

Hactenus poeta ille, qui ex Arabibus hæc ad verbum ferè transcripsit. Penè omiseram quòd absinthij cinis rosaceo vnguento permistus, capillum denigrat, & somnos olfactu allicit eius ramus sub capite repositus, modò id non senserit æger. Transit sapor eius in vinum, quod vocatur absinthites, quo nihil præstatius in affectibus vētriculi, vt dicemus in vinis medicatis. Non est hîc dissimulandum, quòd absinthium vestiarijs arcis inspersum, ab erodentium iniurijs reposita vindicat: adhæc, quòd atramentum librarium diluto eius temperatū, literas & libros à musculis tuetur, quemadmodum ex Dioscoride transcripsit Plinius: apud quem in nonnullis exemplaribus, muscis pro musculis scriptum reperio: fortasse

fortasse quòb μυίαις pro μυοὶ legerit. Pulchrum est, inquit Aegineta, ante alia pocula absinthij dilutum prælibare: nam inter ebrietatis antidota numeratur. Quod ad exhibitionem attinet, veteres succum absinthij pueris offerebant, illitis melle labris vasculi, quemadmodum his versibus eleganter expressit Lucretius,

Ebrietas.

Prisca absinthij exhibitio

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flauóq; liquore.

Alij folia eiusdem in fico dabant, ad fallendam amaritudinem, & conciliandam gustui gratiam, summo per imposturam beneficio. Si cum rosis in vino austero coquitur, fotu, ventriculi dolores tollit, vel totius compositi applicatione. Et si cum passulis, oculis superponitur, pulsantem illorum dolorem emendat. Quod etiam præstat vapor decoctionis eius, ex vino albo, apertis oculis exceptus. Galenus scribit aurium sibilum & sonitũ curari fotu decoctionis absinthij: vel immisso raphani succo, cum rosaceo: adhæc herbã contusam, & super tegula calefacta, vinòque irrorata, tostam, ictus, plagas & contusiones sanare: insuper, eius decoctum cũ furfure, chamæmelo, meliloto, malua, vino & aqua, additis oleis anodynis, rosaceo, liliaceo, anethino, chamæmelino, appositum cõtusionibus & attritionibus musculorum, mirandum in modum iuuare. Et si folia cum melle trita, vtero ac muliebri pudendo imponantur, menses excludent. Si cum radice iridis coquatur semen, & bibatur, thoracem purgabit, & icterum valde emendabit. Sed pulchrum erit

Ventriculus, oculi, aures, plagæ, contusiones, & attritus.

Vterus & vulua.

Menses, thorax icterus.

audire Ioan. Mesuæ, hæc omnia, & multò plura, paucis colligentē. Absinthiũ, inquit, constat duplici substãtia, vna calida, amara, nitrosa, purgãte & obstructa liberãte: altera, terrea, stiptica, & partes cogendo roborañte: præsertim in siccato absinthio. Cùm autem eius substantia calida sit superficiaria, vbi sumptum est, ab ea prior fit actio: à terrea verò stiptica, posterior: per quam ventrem soluere comprimendo, nonnulli malè sunt opinati. Bilem enim flauam, & aquas à vẽtriculo intestinis, hepate ac venis vacuat, interdum etiã per vrinas. Pituitam verò, aut non vacuat, aut maximè paucam: licet phlegmagogum quoque ipsum cẽsuerit Auenzoar. A putredine vindicat, præcipuè potu quotidiano vnciæ vnius vel duarum vini aut aquæ, cui infusum vel incoctum fuerit, vel aquæ ex eo distillatæ. Cum melle, aut vino & pauco cumino calfactũ & appositũ, mirè cõfert partibus attritis vel contusis. Si vino item, aut aqua, aut oleo cui absinthium & radix cucumeris agrestis incocta fuerint, spongia mersa & expressa temporibus alligetur, hemicraniã sanat. Auris quoque suffita vino aut aqua cui incoctum sit absinthium, dolore, tinnitu, & surditate liberatur. Acetum præterea, aut vinum cui incoctum fuerit cum cortice citri, oris fœtorem à gingiuarum & dentium putredine, vel materiarum corruptela in ventriculo, emendat: quod etiam præstat aqua eius distillata. Succus cum nucleis persicorum, vermes aurium, & aliarum partium, enecat & educit. Sed maximè hoc electarium lumbricos occidit: Absinthij vnciæ duæ, euphorbij drachma vna & dimidia, cornu cerui vsti vncia dimidia, mellis quantũ sufficit. Ex absinthio, fumaria,

Bilis flauæ, aquæ, putredo, attritus, & contusiones.

Hemicrania, aures.

Fœtor oris, vermes, pruritus & scabies.

maria, vuis paſſis enucleatis, myrobalanis citreis, potio fit commoda contra pruritũ & ſcabiem. Quia autem imbecilliter ſoluit, roſæ, ſerũ lactis, fumaria, ſpica, vuæ paſſæ purgatæ, illi non ineptè miſcentur, vt meliùs & tutiùs purget. Roborat ventriculum & hepar, excitat appetẽtiam, tollit obſtructiones, & inde natos affectus, icterum ac hydropem: febribus etiã putridis diuturnis confert. Vere debet colligi abſinthium, & ſuccus ex eo media veris parte extrahi, & ſole, vel calidis cineribus, in vaſe vitreo, vt aloë, ſiccari. Flos eſtatis principio decerpitur, mediocrem ſuſtinens coctionem. Hactenus Meſues, qui nobis medicam abſinthij narrationem claudet. In qua perſequenda, ſi lõgè ac latè ſumus exſpatiati, & diutiùs immorati, popularis herbæ inenarrabilibus remedijs & auxilijs, aſcribendum obnixè precamur.

Ventriculus, hepar, appetentia icter⁹, obſtructio, hydrops & febris.

Abrotonum, & medica eius auxilia.
AR. II.

Quia Abrotono abſinthij amaritudo ineſt, idcirco ſecundo poſt abſinthium deſcribetur loco: quod in marem & fœminam diſtingui nullus eſt qui ignoret. Hæc à multis Cypreſſus dici ſolet, folijs conſtans albicantibus. Ille non vſqueadeò albicat. Pariſiẽſes vtrunque *A vronum*, & pumilam cupreſſum, & *cuſtodem veſtiarium* nuncupãt: quod armarijs ſparſum, veſtes à tineis vindicet. In vino potum contra venena antidotum eſſe ſcripſerunt priſci, & cum oleo illitum prodeſſe algentibus: necnon contra omnia veneficia, quibus coitus impeditur. In cubili ſtratum & ſuffitum, ſerpentes ac venenatũ reptile quod-

Abrotonum mas & fœmina.

Venena, algores, coitus ſerpẽtes, barba, nerui & thorax.

Ii 3 uis

coitum ad ... abrotani

uis fugat. Cinis eius cum oleo raphanino, ricini-
no vel sabino, barbam tardiùs nascentem elicit,
& neruos pectorisque affectus summè iuuat foli-
orum decoctio. Ex quo dyspnoicis, tussienti-
bus, & lumborum ac vuluarum doloribus adesse
creditur, si cum vino & pauco melle hauriatur
Quo etiam modo ischiadicis & suppressis mensi-
bus auxiliatur. Febriles algores abrotonum se-
dare dicunt, si ex aqua tepida bibatur, antè quàm
irrepant: vel oleo eius spina dorsi ad calentem
foculum illinatur. Alij eam in rem flores cum
summis ramorum capitulis, ex oleo in linimenti
consistentiam atterunt, & eo pedũ plantas, cum
spina & carpis manuum illinunt. Huius semine,
quotidiano experimento mulierculæ lumbricos
necant. Addo quod idem semen vsque ad drach-
mam, cum aliquot folijs in vino albo tritum, ad-
dita nuce iuglande & bolo Armeno: deinde ex-
colatum & bibitum, mirandum in modũ est effi-
cax aduersus venena, & luem pestiferam, nostro
& aliorum quamplurimorum fœlici & optato
experimento. Semen in vino albo tritum, & hau-
stum, cunctantes menses accelerat. Quid amplius
optas?

Dispnoici, tussis, lumbi, vulua, ischias, menses, febrilis algor, lumbrici, venena & pestis.

Menses seu menstrua.

Huic panis micas, & mala cydonia iungens,
Si simul amne coquas, oculorum cocta dolori,
Vel feruori apponens, percurabis vtrunque.

Infixas cuti spinas, aculeos & alia quęuis educit
per se admotum, vel cum adipe tritum: adhæc
tam sumptum, quàm appositum vel iniectum,
lumbricos ventris, perinde atque absinthium,
disperdit: ferturq; ad Venerem incitare, puluino
subditum. Quod an verum sit, dubitare malo
quàm incerta pro certis obstinatè ac temerè pro-
ferre;

Oculi, aculei, lumbrici & venus.

ferre: quare connubio iunctis isthæc tentanda relinquam.

Ruta hortensis, & medica eius auxilia. AR. III.

NVlli sunt horti, tam vrbani quàm agrestes, qui Rutam perpetuo virentem & grauiter olentem non agnoscant. Cui ea fertur esse natura Plinio & Palladio, vt furtiua optimè proueniat, & sub fici arboris vmbra libenter acquiescat. Vnde probatissimam rutam esse putauit Theophrastus, quæ cortici ficulneo defixa, terra obrueretur. Quod etiam Plutarchus agnouit, scribens in sympositiacis ad hunc modum: Ruta quæ sub ficu prosilit, aut illi adnascitur, suauior habetur & sapore melior. Ab his non longe recessit Dioscorides, eam cibis commendans, quæ prope arborem fici cresceret, & quamcunque aliam ferculis abdicans. Hinc illa nimirum rutæ cum fico sympathia & amicitia à Plinio celebrata: & eiusdem rursum cum cicuta mirabilis antipathia, probabili argumento, quòd rutam colligentes, cicutæ succo manus armant, ne perniciosis vlceribus ab ea infestentur. Quod de ruta agresti scriptum fuisse, docebit experientia, rerum dubiarũ magistra. Sed hæc nihil ad rutæ facultates & medica auxilia: quæ quia præstantissima sunt, ob id longè ac latè nobis explicanda veniunt. Florentinus Grecę agriculturę interpres diligẽtissimus, tradit obturatas aureis medulla rutæ, aut recenti eius surculo, capitis dolores finire: adhæc, succo illius inunctos oculos cum melle optimo, vel lacte mulieris masculum enixæ aut lactantis, cali-

Rutæ natura & præstantia.

Mirabilis rutæ cum fico sympathia.

Aures, caput & oculi.

gine & suffusione liberari. Quam rem etiam præstabit solus succus, tactis oculorum angulis, non solùm hominibus, sed etiam pecudibus ac iumētis. Quod Salernitanæ scholæ poësis non omisit, dicens,

Nobilis est ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio rutæ, vir lippe, videbis acutè.

Et poëta herbularius,

Ruta comesta recens oculos caligine purgat,
Et melius marathri cum succo, felleq́ galli,
Melleq́, si succus ex aquo iungitur eius:
Indeq́ sint oculi patientis sæpè peruncti.

Serpentes, venena, epilepsia, hydrops, pectus, latus, lũbi, tussis, iecur, pulmo renes & febris: Ille idem succus cum vino potus, serpentium venenis resistit, & comitialibus auxiliatur. Quin ruta ipsa cum ficu ad dimidias parteis decocta, hydropicis salubriter adhibetur: valetque plurimum ea decoctio ad pectoris, laterum ac lumborum dolores: necnon contra tusseis, ac pulmonum & iecinoris, renumque vitia, & remeantiũ febrium horrores. Tormina, menstrua, sanguis, ozœna & dentes. Eadem cum vino, hyssopo & aniso cocta, torminibus sedandis, & ciendis menstruis, haustu vel fotu mirandum in modum opitulatur: naribusque indita, fluentem sanguinem sistit, & sæpè olfacta, ozænas curat, necnon collutione, dentibus summè prodest. Semen maximi momenti esse solet apud medicos plerosque ad arthritidē, molas & humiditates vteri. Certissimum est Basiliscum serpentem, homini, reliquisque animātibus insidiari ac infestum esse, frugesque ac sata contactu suo & viroso halitu polluere: Basiliscus & Mustela. nec esse vllum animantis genus, quod aduersus illum pugnet, præter Mustelam. Quæ rutæ esu, ceu præsenti alexipharmaco & propugnaculo sti-

lo stipata, illum intrepidè extra latebras raptum conterit. Quo mortuo, nisi confestim se aliò subducat, pastúque rutæ iterum sibi prospiciat, ex contagione ambientis aëris suffocari periclitatur. Non temerè itaq; faciunt, qui circa ædes rusticas, ac pecorum stabula, et pastorum casas, frequentē rutam serunt ac fouent, quum vi præsentanea venenis obsistat, nec vllū serpentis genus, quàm se longissimè eius vmbra porrigit, vspiam admittat: quemadmodū de Fraxino scribit Plinius. Quòd si quis sumpserit mādagoram, hyoscyamum, cerusam, nigri papaueris succum, & pleraque alia quæ immodica frigiditate lethalem stuporem conciliant, rutæ succo, vel illius decocti vino, reuiuiscet, ac malum discutiet. Sed obliuiscendum non est, quòd feruido effectu & vrente, noxam infert corpori, si copiosiùs sumpta fuerit, vel diutius olfacta. Vnde grassante peste sæpenumerò obseruaui eos, qui rutam naribus identidem admouissent, pustulas & vlcuscula in labijs, naso ac vicinis locis, contraxisse: sicuti in Opusculo nostro de remedijs & secretis contra pestem nuper adnotauimus. Nam exulcerat foris admota, & parti alicui affricata vesiculas excitat. Quare carbunculis et bubonibus pestiferis, alijsq; tumoribus contagiosis opportunè ac salubriter adhibetur: virus enim elicit, nec patitur intro resilire ac remeare venenatos halitus. In quam rem contusa, & cum fermento acri, ac adipe suillo, necnon cepa & ficubus cocta, adiecto ammoniaco, calce viua, sapone cantharide & theriaces momento, præstantissimum conficiet emplastrum, quod affectæ parti tempestiuè appositum, pestiferos tumores cōfestim disrumpet.

Ruta serpentibus exosa, ac venenatis omnibus.

Venena.

Ruta in peste vtendum cautè.

Carbūculis & bubones pestiferi.

Emplastrum optimū aduersus pestiferos bubones & carbunculos.

pet. Id quod experiundo verissimum esse fateberis, & sciuisse aliquando gaudebis. Sed quia talium remediorum, tota (quod dicunt) plaustra in iã dicto opusculo nostro proposuimus, idcirco de illis verbum non amplius addo, reliqua hortensis rutæ medica præsidia, inuētu & paratu facilia, ordine persequens. Succus rutæ in cortice mali punici calfactus, & auri immissus, illius dolores finit, tinnitum emendat, & vermes interimit. Folia commansa, oris fœtorem tollunt ex vsu alliorum & ceparum contractum, sed aceto os debet postea collui. Si eadem folia coquantur, & cum sulphure ac pauco aceto terantur, deinde mammis in modum emplastri apponantur (exclusa papilla) omnem lactis coagulationem ac tumores expediunt. Scribit Galenus quòd ruta efficaciter obstat omnibus malignis vlceribus, siue sint putria, siue corrodentia: sed in molli corpore debet remisceri, & teri, coquíue cum pane vel hordeacea farina. In duro, potiùs vtendum censet pegano, id est agresti ruta, quàm hortensi & vrbana. Semen in vino coctum & potum, singultus emendat qui fiunt à pituita, & hinc periclitantes, à suffocatione liberat. Tusa folia & in modum emplastri scrophulis apposita, illarũ duritiem abolent. Et eorundem siccatorum pars vna pulverata cum media parte olibani, deinde ex vino, vel syrupo de mentha hausta, vomitũ compescit. Si aliquot recentia folia edãtur, & generosum vinum superbibatur, morsum Mustelæ non secus curant, quàm simiæ & felis commãsa faba, & demorso loco statim apposita. Factum præterea pessariũ, vt loquuntur medici, ex rutæ succo, muliebria potenter ducit. Et folia trita, oleóque lilio-

Aures, fœtor oris, lac, mãmæ, & vlcera.

Singultus, scrophulæ, vomitus, & morsus venenatorum.

liliorum incocta cum adipe gallinæ vel anseris, si calida antrorsum & retrorsum vtero in modum emplastri apponantur, præfocationē & strangulatū matricis emendant. Quod vnum remedium etiam præstantissimum esse solet, ad coli, vteri & recti intestini inflationes. Sed folia sicca, cum supra dictis adipibus & oleo trita, efficaciùs operantur. Est sanè memorabile quod apud Arnaldum à Villanoua scriptum reperi, nimirū quòd ruta vino albo, vel rosacea aqua imbuta, macerata & calefacta, vapidū fumum & aqueum vaporem exhalat, qui vitreo vase superposito exceptus et collectus, apprimè vtilis est sedandis oculorum morbis. Memorabile & illud quod apud Auicennā legi. Si quis semē rutæ & folia cum nuce, & bolo Armeniæ in generoso vino albo contriuerit, & iusculum tale percolatum ieiunus biberit, ab omni veneno ea die tutus erit, imò verò à pestifera lue, quātumuis sæua & immani. Folia eadem cum vino trita valēt plurimùm aduersus venenatos morsus omnes, etiam si rabidi canis fuerint: modò cum melle & sale morsui apponantur, vel cum aceto & pice eam in rem decoquantur. Non desunt qui affirment rutæ succo perunctos, vel rutam ipsam gestantes, à maleficis animalibus feriri non posse. Generationes eius cibo impediri certum est: idcirco mulieres sobolem coniugalem suscipere satagentes, rutam cane peius & angue vitare debent: nam vuluas aperit, ac menstruum sanguinem prolicit. Addo quod & semē, & coitum, tam cibo quàm potu sumpta, desiccat, & restinguit, maximè viris: vnde πήγανον Græcis dicta est Ruta ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι τὸ σπέρμα, quia semen genitabile suo præsicco spiritu, calidoq;

Menstrua, matrix, colū, vterus & inflationes.

Oculi, venena, pestis & morsus venenati.

Malefica animalia, generatio & sperma.

dóque vapore & tetro coaguletur, quasiq́ arescat: vnde sterilescunt, viri præsertim, concreto & diminuto eorum semine. Id quod mulieribus secus cōtingit, vt etiam Salernitano iactatur hoc senariolo,

Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.

Vuluæ stran gulatus, arthritis, testes, vermes, lichen, vitiligo, venena & pestis.

Vuluæ strāgulatus aperit cum melle trita, & toti pubi vsque ad anum illita. Quæ res etiam plurimùm valet ad dolores articularios, & cū oleo ad expellenda ventris animalia. Si cum laurinis folijs coquatur, testiū inflationes apposita mitigat: lichenibusq́ cum melle & alumine vtiliter affricatur. Cum pipere & nitro vitiligines candidas emaculat, & folia aliquot, cibos antecedentia, aut cum arida ficu, & veteribus iuglandium nucleis sumpta, addito salis momento, venenorum vires hebetant, & corpus contra iniurias eorum tutissimè muniunt, pestilentique aëri resistunt.

Diatessaron Mithridatis.

Quod Mithridatis inuentum esse tradunt, et Mithridaticū diatessaron nuncupant, mihi & quam plurimis fœlici successu in magnis pestilentijs ꝓbatum. Sed pulchrum erit audire poëtam herbularium de ruta eam in rem non ineptè ad hunc modum philosophantem,

Mithridatis antidotus contra venena.

Obstat pota mero, vel cruda comesta, venenis:
Quod Mithridates Ponti Rex sæpè probauit:
Qui rutæ folijs viginti, cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisq́ duabus,
Ieiunus vesci consurgens manè solebat:
Armatusq́ cibo tali, quascunq́ veneno
Quilibet insidias sibi tenderet, haud metuebat.

Sed de ijs plura in Iuglande scribemus, vbi ad arbores ventum erit.

Theo-

Theopompus vires nec dissimiles nec impares rutæ attribuit, quàm citrio, contra toxica: tradens Clearchum Heracleoti tyrannum suo tempore multos aconito interemisse, cuius violentiam vt vitarent subditi, domo non egrediebantur ante degustatã rutam: quo præsidio, ceu præsenti alexipharmaco, ab aconiti virulentia sospites euaserunt. Non desunt qui Citrio id ascribãt, quemadmodum suo posthac adnotabimus loco. Prætereundum hic non est, quòd ruta & mentha virides, ex Hippocratis & Galeni sententia, flatus ac Veneris pruritum excitare solent: siccatæ verò vel frixæ, & præcipuè semina, eosdem discutere, ac Veneris impetum compescere, seminisq; profluuium, gonorrhœa nuncupatum, sistere. Quod tametsi superioribus nonnihil pugnare videtur, si tamen rectè ac prudenter excusseris, nullum habere dissidiũ reperies. Luc. Apuleius Platonicus scribit, rutam viridem oleo incoctam, & cera noua agglutinatam, efficacem esse ad inguinum dolores, modò ex linteolo, vt ceratum applicetur. Eadem cum polenta bene trita & imposita, epiphoras lenit. Ignem sacrum ex aceto & oleo illita mire extinguit: & ros eiusdem matutinus in vasculo collectus, et oculis instillatus, illorum caliginem tollit. Quod etiam præstare solet vapor ex eadem madente, igni exceptus. Si præter voluntatem effluit semen, manducetur ruta in vino cocta cum pingui aliquo, vel butyro, aut dulcium amygdalarum recenti oleo. Si muliebre effluuium sistere voles, rutam (vt idem tradit Apuleius) auro, argento, ac ebore circumscribe, & sublatam infra talum alliga. Autores sunt Aristot. & Plinius, quod mustela cũ serpen-

Flatus, Venus, & gonorrhœa.

Inguina, epiphora, ignis sacer, oculi, caligo, sperma & muliebre effluuiũ.

serpente & bufone dimicatura in murium venatu, rutam priùs edere solet, ceu præsens quodpiã alexipharmacon. Ex quo rutam fascinationis ac venenorum, necnon contagiorum præstantissimum esse amuletum, appositissimè scripserunt prisci omnes: falsoq; putauit Pythagoras oculis nocere, nam & scalptores & pictores, oculorum causa, in cibo illa salubriter vti solẽt. Tam est infesta serpentibus, vt procul ab illa stabulari certum sit, imò verò eius nidore longè ac latè abigi. Vnde cum sale & cepa admotam, remedium esse expertus sum aduersus serpẽtiũ venenatos ictus. Consultè itaque ac prudenter mihi facere videntur, quia ruta hortorum areas olitorias coronãt, vt esculenta olera à venenatis animalculis defendant. Hæc sint postrema, quanquam parùm medica. Feles ab auiarijs arcebuntur, pullis gallinaceorum aut aliorum, succo rutæ perfusis, aut ruta vndequaq; armatis auiariis ipsis. Quod facili experientia probabis, vnà cum eo quod tradidit Democritus, nimirum culices abigi, & ne accedant impediri, si rutæ virentis ramo aquam per domum, aut locum alium ab eis obsessum resperseris, vel eiusdem plantæ decocto aspersinem feceris. Quod multi etiam ad pulices meritò detorquent, & facto experimento verissimum esse testantur. Quare rectè scripsisse censebitur herbularius poëta,

Fascinatio, venena, serpentes & eorũ ictus.

Quomodo arceantur feles ab auiarijs, & culices ab ædibus.

Pulices.

Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta.

De cuius facultatibus & medicis præsidijs scriptũ sit hactenus. Quas fusiùs & explicatiùs persequi volui, quod vbique hortorum frequens sit illa, excellẽtissimis viribus ac occultis alijs miraculis

culis prædita, nobis alibi explicandis: ne nimius videar, feraq́; coronide longus.

Vrtica, & medica eius auxilia.

AREA IIII.

QVoniam in plerisque hortis, tam vrbanis quàm rusticis, multarum plantarũ (si desit cura coloni) non dicã cibis, sed oculis, manibus ac naribus ingratissimarum inexpugnabilis prouẽtus etiam sponte oboriri solet, idcirco de illis nonnulla medicè hîc scribere conabor, quòd vires in iuuando corpore humano admodum insignes ac præstantes habeant. Itaque ab Vrtica auspicor, quæ vel peculiare id agnoscit, quòd absque vllis spinarum aculeis, lanuginem adeò noxiam, ac vrentem circunfert, vt tactu quàm leuissimo pruritum, pustulasq́; adustioni similes confestim excitet. Ex quo ab vrendo Grammaticis ritè dici mihi videtur, & Græcis ἀκαλύφη, καὶ κνίδη, quasi non tangenda, quòd mordacis & punctoriæ vstionis sæuum dolorem sua, vt diximus, lanugine perquam exili & mollicula acriter inurat. Sed mordacitas in ea (quæ oleo curatur) non protinus se prodit, nec nisi Solibus inualescentibus roboratur. Per veris initia planta hęc sapore solet esse non ingrato, & religioso cibo multis, ad depellendos totius anni morbos. Huius semen Nicander cicutæ contrarium esse affirmat, adhęc fungis, viuo argento, hyoscyamo, serpentibus ac scorpionibus pugnare. Trita folia & naribus indita fluentem sanguinem sistunt, omniumq́; maximè radix: quod etiam præstat succus, frõti illitus. Phanias inter Græcos medicos celebris, vrticæ laudes condidit, vtilissimam cibis coctam, condi-

Multæ in hortis plantæ inutiles.

Vrtica mordax, & eius remedia.

Venena & fluor sanguinis.

Canis morsus, sudor, aluus, pect⁹, mēstrua, vlcera, vuula & procidentia ani.

conditámue professus. Canum morsibus addito sale opitulatur: oleo incocta, sudoré elicit: cum conchulis, aluũ ciet: cum ptisana pectus purgat: cum thymo aut pulegio tardantibus menstruis imperat, & cum sale vlcera quæ serpunt, continet. Sed illa mordax eius vredo, vuulas in ore cohibet, ac procidentes vuluas, infantiumq; sedes tactu resilire cogit, & Venerem in quadrupédibus excitat. Quod pinguis poëta, volebam dicere Macer, herbularius nobis passim nũcupatus, non omisit, nec ignòrauit.

Vrticæ folijs (inquit) reuocatur vulua fricata.
Si quadrupes quæcunq; marem perferre recusat,
Vrticæ folijs illius vulua fricetur:
Sic naturalem calor excitat ille calorem.

Lethargus, gangræna, carcinoma, vlcera, suppuratio, tubercula luxata, parotis, menses, lien, & alu⁹.

Non desunt qui affirmẽt lethargicos experrectos fuisse tactis eorum cruribus vrtica mordaci, & magis fronte. Dioscorides scribit, Galeno astipulante, quòd folia vrticæ gangrenas emendãt: necnon carcinomata quæ cacoëthe vocantur: adhæc parotidas, sordida vlcera, suppuratiões, tubercula, ac luxata reparãt. Folia cum pauca myrrha trita & admota, menses efficaciter mouent, et cum cerato, lieni admodum prosunt. Ventrem in iusculo sumpta, velut titillando & abstergendo, clementer irritant. Syluestris, quam Græci ἀγρίαν, Galli *Griecham* nuncupant, ex vino pota, lepras in facie tollit, quod etiam nonnulli vrticę mordaci ascribunt: cuius succus cessantem vrinã ciere, & calculos frangere, vuulamq; inflammatione turgentem reprimere fertur. Sunt qui radice, infixa corpori extrahãt, addito salis momento: & folijs cum axungia strumas discutiãt:

Lepra, vrina, calculus, vuula aculei, strumæ, arthritis & podagra.

quæ

quæ ſi ſuppurauerint, compleri tradunt. Articularijs morbis & podagricis, cum oleo vetere tritam vrticam plurimi apponunt. In quam rem etiam radix cum aceto tuſa, cenſetur admodum vtilis eſſe.

Illius ſemen colicis cum melle medetur:
Et tuſsim veterem curat, ſi ſæpè bibatur:
Frigus pulmonis pellit, ventriſq; tumorem:
Cum mulſa bibitum, lotium producit abundè.

Colici, tuſſis, pulmo, venter, lotium, vomitus, ventriculus, orthopnoici, latus.

Idem ſemẽ in eadẽ mulſa obolis duobus, hoc eſt ſcrupulo vno ſumptum, vomitiones à cœna faciles reddit: & in ſapa hauſtum, ventriculi inflationibus ſuccurrit: prodeſt etiã orthopnoicis cũ melle, nam thoracem expurgat. Lateri præterea medetur cũ ſemine lini & hyſſopo frixũ. Linimẽtum ex foliis vrticæ cõpoſitum cum oleo & ſale, partes corporis tuetur ab atrociſsimo frigore & rigore, etiã ſi febrilis fuerit, inũcta dorſi ſpina, & pedum plãta, ac manuum carpis. Valet idẽ ad vlcera ex gelu & frigore contracta. Noui multos arcanorum naturæ cõſcios, qui vt febrilem cordis æſtum compeſcerẽt ac infrigidarẽt, internum vrticæ ſuccum arterijs illinebant, addito vnguenti populei momento. Sunt qui folia duntaxat trita eam in rem ipſi carpo, necnon temporibus applicent, cum pauco oleo violaceo vel papauerino. Penè omittebam quòd vapor ex decoctione ſeminis vrticæ naribus exceptus, illarum obſtructionem aperit. Quod etiam operatur abrotonũ, in eius hiſtoria nobis ad alia feſtinantibus, negligenter, ne dicam imprudẽter, omiſſum. Folia vrticæ trita & matrici ſuperpoſita, emplaſtri modo, illã ſi educta fuerit, reducunt. Semen potum

Febrile frigus, vlcera ex gelu, & ardor febrilis.

Nares, matrix, vterus, menſtrua, & empyci.

cum ſapa, ſtrangulationes vteri aperit, & ſuccus foliorum cum myrrhæ momento, menſes potenter euocat. Cæterùm tacendum non eſt, quòd ſi quis empyicus ſcrupulum vnum ſeminis vrticæ in pollinem redactum, cum ſyrupo pectorali, quaſi lambendo paulatim deglutiuerit, tenacem humorem facili conatu expectorabit, & ſummũ præſidiũ hinc explorabit. De nõ mordẽte vrtica, quæ ob id mortua dici ſolet, tradũt multi quòd vires præclaras habeat ad ſtrumas, carcinomata, & gangrænas. Tradunt inſuper de ſylueſtri (quæ ſemine eſt lini) quod plurimum ſemine eo valet ad gluten pituitoſum incidendum & extergendum, cùm opinionem aſthmatis & orthopnœæ veræ facit: non tantùm enim præparat viſcidum farctum, ſed etiam delectu ducit clementius, cartami ſeminis ritu & doſi. Hoc ſit poſtremum, etſi parum medicum: Vrticæ radices carnibus coniunctæ, eas celeriùs coqui impellũt, & nymphęæ radix piſis incocta, illa omnia ad vnũ, veluti extrudente olla, foras eiaculatur. Facili experimento res innoteſcet, mihi nondum explorata.

Plantago, & medica eius auxilia.
AREA V.

Sequitur Plantago nullis hortis non obuia, cuius laudes abundè complexus eſt Themiſon medicus, Plinio autore. Si quis eius folia in aqua mulſa macerata, vel contuſa et expreſſa, horis duabus ante acceſsionem ad drachmas duas biberit, tertianas leuiores ac breuiores reddet. Quod etiam præſtabit ſuccus radicis madefactę, vel tuſæ: aut radix ipſa macerata in aqua ferro candenti excalfacta. Quidam ternas radices in tribus

tribus aquę cyathis, vel vt habet Dioscor. vini, et pari aquæ modo, potádas dedere tertianarijs, & quaternas quaternarijs, totidem aquæ & vini modulis temperatas. Folia podagras refrigerát, conueniuntq; in primo calidarum impetu. Succus, oris vlcera collutione emendat: necnon folium admotum, aut radix commansa, etiam si rheumatismo laboret os. Datur plantago cibum non sentientibus, hoc est ijs qui non nutriuntur (quos Græci ἀτρόφους vocant) interpositis diebus: ex quo phthisim sanare traditur in vino cocta & pota. Comitiales ac suspiriosos iuuat, & strumis cum sale auxiliatur. Eadem curantur ambusta cum oui albumine, ita vt cicatrix oculos fallat. Sanguinem claudit ex vbere (seu vlcere) fluētem, & carbunculos tusa rumpit. Ex aceto & sale cocta dysentericis ac cœliacis salubriter exhibetur: vel succus eiusdem cum alica, vel oryza: qui etiam subter inijci potest. Cum creta cimolia & cerussa, igni sacro medetur, etiam si medium hominem ambierit, qui Zoster vocatur, & si cinxerit, enecat. Sanguinis execrationes vel (vt quidā legunt) excretiones, tam ore, quàm aluo & vtero factas, tritum semen in vino austero (si febris absit) efficaciter sistit, necnon & foliorum succus haustus vel iniectus: qui etiā fistulis inditus, præsenti auxilio esse solet. Coquitur cum lenticula plātago, eodem quo beta more, aduersus hydropisim: & si corpori vitium id adhæserit, cui Leucophlegmatiæ nomē est, elixa opportunè datur, modò panem siccū priùs comederint laborātes, vt media cibis illa interueniat. Luxatis tusa folia dolores ac tumores tollunt, addito sale modico. Crassa vlcerum labra purgant, ac nomas sistunt,

Febris, podagra, oris vlcera, atrophia, & phthisis.

Epilepsia, asthma, strumæ, ambusta, sanguis, carbūculus, dysenterici, & cœliaci. Ignis sacer, sanguis, fistula, & hydrops.

Luxata, vlcera, nomæ.

medenturq; omnium generum vlceribus & peculiariter fœminarum, fenum ac infantium: fed igne emollita meliora funt. In quem vfum prodeft etiam fuccus cum cerato: qui in vteri ftrangulatu per fe vtiliter bibitur, ac aurium doloribus appofitè inftillatur, & lippitudini, necnon ophthalmijs in collyrio pulchrè additur. Prodeft etiam collutione gingiuis fanguine prægnantibus: & in vellere fubditus locofas mulieres ftrangulatu liberat, vuluarúmque fluxiones fiftit, etiam fi fuerint fanguineæ. Radix commanfa, aut mafticata, dentium dolores fedat, perinde atq; decoctionis eiufdem ablutio: quæ etiam ad vlcera veficæ, & renum vitia, cum folijs in paffo efficaciter præbetur. Tradunt nonnulli, quòd fi quis radicem licio alligatam, è collo fufpenderit, ftrumas difcutiet, ac crefcere prohibebit. Redeo ad folia, quæ vlcera vetera & inæqualia, fi apponantur, perfanant, & ad planum reducunt: adhæc finus glutinant, & morfibus canum ritè medentur: & ex lana, peſsi modo indita, vteros purgant. Semen tufum, & in vlcus, aut vulnus fparfum, citò illud curabit. Et fuccus cum mulfa exhibitus duabus horis ante acceſsioné quartanæ, illam emendat, & repetitione facta tandem abolet: ficuti à multis obferuatum intellexi. Folia minoris plantaginis cum fale trita, & cataplafmatis modo impofita, tumorem & dolorem neruorum in arthritide fenfim demulcent. Emplaftrum quoque ex eius fucco, ac albumine ouorum & bolo Armeniæ fronti impactum, fluorem fanguinis è naribus compefcit: & fuccus hauftus vel vtero iniectus, motum mẽftruorum continet.

Vterus, aures, gingiuę matrix, lippitudo, ophthalmia, fluxio vuluæ.

Dentes, vefica, renes, ftrumę, vlcera, finus, canũ morfus, & vterus.

Vlcus, vulnus, quartana, arthritis, fanguis, & menftrua.

Ille idem succus rectè sanare videtur
Quod iuxta nares vel lumina nascitur vlcus,
Si superaddatur cum lanis mollibus illi:
Perq; nouem cataplasma dies hocce renouetur: Vlcera oculorum, dolor pedū, & elephantiasis.
Si via longa pedum mouet, vt fit sæpè, dolorem,
Acri cum vino superaddita trita iuuabit.

Vis foliorum in refrigerando, abstergēdo, & siccando mira est, vt testantur Dioscorides & Galenus: ideo ad vlcera quæ cacoëthe vocantur & elephantias, fœlici successu illinuntur: conueniuntq; ad ea quæ humore madēt, & ob sordes scaturientes facilè purgari nequeunt. Non possum hîc tacere nec dissimulare, quod plātaginis vires sanè quàm eximias sæpenumerò experti sumus in lue pestifera, quibuscunq; administraretur modis: præterea vermes in vlceribus exortos plantaginis arefactæ resperso puluere interfici certo experimento nobis constat. Alia eam in rem auxilia certa & probata leges in nostris naturæ Arcanis, & memorabilium Centurijs, Chiliadem propediem explentibus. Pestis, & vermes vlcerū.

Artemisia, & Tanacetum seu Athanasia, cum medicis vtriusq; auxilijs. AR. VI.

Vidimus in plerisque hortis diuitum matronarum Artemisiam curiosè plantari & diligēter excoli, ob præclaras vtilitates, quas (vt mox ostendemus) illis adferre solet. Quæ res me mouit, vt de medicis eius auxilijs pauca hîc adsuerem. Duplex apud nos visitur artemisia. Vna absinthij modo fruticat, et folijs maioribus ex nigro virescit, *Armoisa* vocata. Altera, circa aggeres Duplex Artemisia, & eius nomenclatura.

& riuos nascitur, necnon in frumentaceis agris, folijs minoribus vestita, quam Gallicum vulgus *herbam S. Ioannis* nominat. Vtraq; Dioscoridi & Galeno, excalfaciendi, resiccandi & extenuandi vires habet, adijciturq; vtiliter ad muliebres dessessus, vt educãtur menses, partus & secũdæ. Vuluæ cõstrictiones laxat, & inflãmationes eius mitigat, calculos frãgens ac vrinas mouens. Ad euocandos mẽses qui fuerint remorati, efficaciter pubi apponũtur calẽtes artemisiæ fasciculi: ad quos etiã coma eiusdem trium drachmarum pondere vtiliter propinatur. Folia minoris diligẽter trita cum oleo amararũ amygdalarum, & stomacho adhibita, illius vexationem sedãt: & succus cum rosaceo, neruorum dolores finit. Vtraq; ex oleo irino tusa cũ fico & myrrha, vuluis optimè medetur, easq; repurgat intromissa, vel apposita. Succus cum oleo violaceo concretus & spinæ inunctus, febriles infantium calores emendat.

Menses, partus, secũdæ, vuluæ, calculi, & vrinæ.

Stomachus, nerui, vulua, strumæ, partus, menses, secundę, calculus, stranguria, vterus & partus.

Hanc adipi iunctam strumis apponere laudat
Plinius, atq; iubet cum vino sumere tritam.

Radix pota mulieres in tãtùm purgat, vt partus etiam enectos extrahat. Folia cocta & imo vẽtri cũ farina hordeacea admota, menses ac secundas extrahunt: & si mulieris in partu laborãtis vmbilico et femoribus decocta et calentia apponãtur, miraculo quodam fœtum educunt. Dantur decoctiones eorundem in vino dulci contra calculos & strãguriam Artemisiam secum habentibus negant nocere mala medicamenta, ac bestiam vllam, imò ne solem quidẽ. Et qui eam tulerit viator alligatã, dicitur lassitudinẽ nullo modo sentire. Quod pulchrum est ac valde notandum, hîc omit-

Lassitudo.

omittebam. Artemisia inter digitos trita, vel aliter contusa, & in pudendum mulieris, pessi modo, detrusa, plurimũ confert resiccandæ et detergendæ matrici, quę nimium humida fuerit & lubrica. Eadẽ, vt diximus, cocta & imo ventri, nec non feminibus admota, fœtum ac secũdas accersit: sed hinc illico est auferenda, alioquin vterum vnà etiam euocabit. Si succum artemisiæ cum aliquot ouorũ luteis coctis trivueris, addita axungia & cumino, eaq; omnia vtero superposueris, dolores qui partum sequuntur demulcebis. Matrix, fecundæ, & partus dolores.

Non desunt qui contendant Tanacetum seu Athanasiam tertium esse genus artemisiæ, & iisdẽ pollere viribus. Quod à multis pręclaris medicis negatum video, censentibus tanacetum potiùs esse parthenium masculinum. Cuius facultates receptæ ac ꝓbatæ sunt, vt vẽtriculi & alui flatus discutiat, ac lumbricos ex ventre pellat. Vtuntur etiam plerique præstanti admodum remedio ad comminuendos renum calculos & ciendam vrinam. Sed vt viris magis cõmendatur tanacetum, ita mulieribus artemisia λυσίπονος, aut matricaria: sic dicta quòd matricis dolores sanet. Vulgus Parisiense *Esparghoutte* vocat, à guttis spargendis: quòd eius folia trita & ori ac auribus admota in dolore dentium, guttas pituitæ spargant & saliuam tenuando eliciant. Vẽtriculus, aluus, lũbrici, calculus, & vrina.

Chelidonium, & medica eius auxilia.
AREA VII.

CHelidonium maius (nam de eo potissimũ hîc agimùs) in parietinis hortorum multorum, & opacis nascens locis, à Gallis *Eclera* vulgò appellari solet: quòd caligantibus oculis aciẽ

Chelidoniũ hirũdinaria herba, & vnde id factũ.

videndi reparet. Ab hirundinibus, quæ Græcis χελιδόνες vocantur, nomenclaturã est adeptum. Nã Theophrasto autore, illarũ aduentu suum excitat florem, ac virescit: discessu verò, marcescit. Alij, vt Arist. & Plin. contendunt, plantã hanc ab hirundinibus inuentam fuisse: quòd oculis pullorum suorum, qui cæci nascuntur, illius auspicijs visio accersatur: & si in nido puncti fuerint, etiã restituatur. Nam si quis nuper in lucẽ editarum hirundinum oculos configat, tacti ea herba à matre, rursum incolumes reddũtur. In quã sententiã nonnullos venisse, autor est Dioscorides. Sed cõmentitium id esse putat Cornel. Celsus, tradens huiusmodi auicularũ acies extrinsecus læsas, interposito tẽpore in pristinum statũ sensim redire. Vnde, inquit, locus fabulæ datus est, p parentes id restitui herbâ, quod per se sanescit. Hinc nimirum, collectũ est hirundinum sanguinẽ, nostris quoq; oculis ab externo ictu mederi, non secus, quàm palumbium & columbarum, si hirundineo caruerimus. Floribus chelidonij succus exprimitur, & in vase mũdo, cum melle optimo, feruenti cinere leniter decoquitur, singulari remedio contra oculorum caliginem. Radix cum aniso & vino albo pota, regio morbo & iecoris obstructionibus medetur, ac vlceribus quæ serpunt, vtiliter imponitur: necnon ijs quæ inueterata sunt & in fistulam abierunt. Quod Q. Serenus hunc in modum confirmat,

Remedia ad oculorum ictus.

Caligo, icterus, obstructio, iecur & vlcera.

At si iam veteri succedit fistula morbo,
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi.

Fistula, vlc^9.

Hîc non tacebo, quod multis pro ditissimo habetur secreto, nimirũ chelidonij maioris herbã

sub

ſub nuda pedis plāta delatam ictericos vt fertur ſanare,ſi dies & noctes ibidem geſtetur, & ſubinde renouetur. Addunt eandē mammis mulierum admotam, menſium abundantiam ſiſtere. Adhęc vna cum radice tuſam,& oleo chamæmelino ferueſactam,ventris tormina & vteri dolores tollere:& totius plantæ pulu̇erem, vulnera, vlceraq́; ſanare. Cadunt quoque verrucæ & areſcunt, ſi frequenter chelidonij ſucco inungantur. Qui plura volet,conſulat Chiliadem noſtram memorabilium. Menſes nimios mammis admota efficaciter ſiſtit: & vlcera adeò ſiccat, vt pro ſpodio vtātur multi: imponitur etiam iiſdem deſperatis, cū axungia. Galenus tradit calidæ & admodum extergentis eſſe facultatis, eiusq́; ſuccum ad viſum exacuendum commodum eſſe: maximè his quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur, digeſtione atque diſcuſſione indigens. Volunt pleriq́; quòd rarior intus eſſe debet illius vſus, commodior foris ad impetigines & pſoras puerorum, necnon metallorum chymicas medicationes. Menſes, oculi, viſus, & vlcera.

Mercurialis,& medica eius auxilia.
AR. VIII.

PLanta hæc Gallicis hortis Latinam retinet nomenclaturam: & in marem ac fœminam diſtinguitur. Hæc candidiora, ille nigriora habet folia. Mirum eſt quod de vtroque genere proditur marem ſcilicet facere vt mares gignantur, fœminam verò, fœminæ: ſed id contingere, ſi à conceptu ſuccus ſtatim bibatur in paſſo, edanturque folia ex oleo & ſale decocta, vel cruda ex aceto. Plinio in ea reaſtipulatur Dioſcorides: niſi quòd à purgatione ſuccum iam dictum bibendum eſſe, Secretū pro marium & fœminarum generatione.

& trita folia genitalibus locis adhibēda testatur. Experientia addidit oportere altero à purgatione die dare mulieribus per triduū, & quarto die, à balneo, cum illis coire. Q. Serenus medicus & poëta æquè priscus ac doctus, eam in rem, de cōceptione & partu scribens, elegantissimis versibus aliquot ita lusit,

Q. Sereni versus pulcherrimi.

Irrita coniugij sterilis si munera languent:
Et sobolis spes est multos iam vana per annos,
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu coniux festinat vterq;.

Hippocrates, Plinio autore, vtramque mercurialem miris laudibus in mulierum vsu prædicauit: adhibuitq; cum melle, vel rosaceo, aut irino, vel liliaceo oleo ad conceptus, & ciendos menses, educendasque secundas. Quod etiam potu, aut fotu, pręstari dixit. Succum insuper surdis auribus instillauit, & cum vino vetere inunxit, & folia cum recenti axungia decocta, vesicæ ad stranguriam imposuit. Ventri exonerando, vel in febri, quantum manus capit, in duobus sextarijs aquæ ad dimidias coquitur. Vel cum melle, admixto sale, succus bibitur: aut in gallinaceo iusculo (quod salubrius est) cum malua decoquitur. Dioscor. eandem soluendo ventri in olere coquit: traditq; epoto iure, bilem ac aquas detrahi. Malis quæ serpunt medetur succus ex aceto. Semen vtriusq;, potioni inspersum, vel cum absinthio, aut cicere decoctum, regium expugnat morbum: & folia illita, vel succus, omnium generum verrucas tollunt, ac thoracem purgant, sed stomachum lædunt. Galenus testatur mercuriali omnes vti duntaxat ad alui solutionem & purgationes. Si quis autem in cataplasmate periculum facere vo-let,

Conceptus, menses, secūdæ, surditas, stranguria & aluus.

Bilis, aquæ, vlcera, icterus, verrucæ, thorax.

let, digerentis facultatis esse experietur. L. Apuleius Platonicus mercurialis tritũ semen ex passo ad ventris duritias exhibet, & ad epiphoras oculorumque lachrymas folia ex vino albo vetere apponit. Præterea, ad aquam, quæ in aures introierit, succum tepefactum exstillat. Venter, epiphora, aures oculi.

Parietaria, & medica eius auxilia.

AR. IX.

A Parietibus nomẽ habet Parietaria, in quibus nasci, ac gigni, maximè solet: quanquã in sepibus ac vineis nasci etiam constat. Helxine dicitur, quòd lappaceis capitulis suis & echinatis sphærulis, vestes tenaci asperitate, hærendo, trahat ac retineat. Vocatur & Perdicium, quoniã perdices ea præcipuè vescuntur, & sese libenter in illa volutant. Adhæc vrceolaris & vitreola, quod detergendis vrceis, & vitreis vasis admodum apta fit. Turtures, columbæ & gallinacei illa pasti, annuum fastidium deducere tradũtur. Parietaria nomina, & eorundem ratio.

Podagris cum caprino aut hircino seuo efficaciter apponitur, & contra rupturas, lapsus, præcipitia, aut vehiculorum euersiones, diuinitùs opitulatur. Sanat ignes sacros, collectionesq́ omnes, & adusta. Succus cum cerussa panos discutit, necnon abscessus & incipientia guttura. Cum recẽti butyro vel gallinaceo adipe frixa, & ventri, cata plasmatis modo, calens imposita, ac subinde mutata, colicum cruciatum clementer sedat: perinde atq; nephritidem & sæuas ex calculo tyrannides, si succus illius vino albo exceptus, & recenti oleo amygdalarum dulcium remistus & transuasatus opportunè hauriatur. Tonsillas & varices cum sacer, conrosaceo curat. Folia, vt scribit Dioscorides, vim habent Podagra, ruptura, lapsus præcipitia, ignis, facer, panus, abscessus, guttur, colicus, affectus, calcul[9], nephritis. Tonsillæ, varices, ignis facer, condylomata.

Vlcera, gargareo, & aures. habent spissandi & refrigerandi: quare illitu sacros ignes, vt diximus, sanant, & condylomata, ac vlcera quæ serpunt, emendant. Inflammationibus gargareonis tam herba, quàm succus illitus, vel gargarizatus multùm prodest, auriumque phlegmonosos dolores cum rosaceo infusus leuat, & quandoque finit. Vis etiam ei inest abstergendi, vt in vitreis vasis experimento docetur: adhæc constringendi, comite humiditate subfrigida. Phlegmone & podagra. Quamobrem phlegmonas omnes in initio & augmento sanat, vsque ad statum. Luc. Apuleius aduersus podagram in aqua decoquit, & ea partes affectas fouet, herbamq; ipsam cum axungia tusam, cataplasmatis modo, imponit, & linteolo vestit. Cæterùm certo & probato quorundam experimento didici, viridem parietariam Mammarum apostemata. cum pane, & oleo liliaceo, rosaceo, vel chamæmelino tritam & excalfactam muliebrium vberum apostemata valde iuuare.

Malua ac Althea, & medica earum auxilia. AR. X.

HIc de vtraque malua, syluestri nimirum & hortensi, medica & fusa agemus methodo: quòd vtriusque vsus tam frequens vbique sit, Malua olim satiua. quàm planta ipsa passim est obuia. Olim satiua erat & altilis, cedebatque in locum oleris, ac famem explebat, & ventrem molliebat, vnde illi Gręcum nomen μαλάχη, & malua Latinũ. Quod festiuè Poeta testatur, ita canens,

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas

Attulit. Et alter Poeta, (vt in lactuca à nobis initio adnotatum fuit.)

Vtere

Vtere lactucis, vel mollibus vtere maluis:

Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Sanè prodigiosum naturæ miraculum est, quòd herbæ huius folium, nedum flos (quemadmodũ scripsit Theophrastus) nubilo die Solem, etiam delitescentem, prodat: fitque curriculi illius velut iudex de statu & conuersione: ex quo inter herbas heliotropas meritò accensetur, sicuti nos haud ita pridem admonuimus in nostris naturæ Arcanis, & alibi. Damageron inter Græcos medicos & geoponicos sanè quam celebris, posteritati notum esse voluit, succum maluæ exasperatas fauces lenire, & summæ cutis acrimonias emendare: adhæc lacessitis renibus opitulari, ac irritamentis vesicæ summam adferre commoditatem. Feruefactæ cibus per se, irraucescentem vocem expedit, & ex oleo atque garo ventrem resoluit. Hic omittendum, & silentio obuoluendũ nequaquam duxi, quod à Petro Pena in suo stirpium libro adnotatum reperi: Medici, inquit, & exercitatiores Pharmacopœi Veneti, è muccagine radicis altheæ, ad tenues in pulmones defluxiones, offulas, morsellos vocatos, duriusculos ex saccharo coquuñt, vsque mouendo, ne vrantur: nec enim cuiusuis est, propter lentorem, bene parare. Folia altheæ aut maluæ cum fronde saligna trita, pretiosum faciunt emplastrum quod inflãmationes enasci vel augeri prohibet, manantemque sanguinem sistit. Eadem cum cepis, vel porris tusa, serpentium ictus, imposita sanant. Succus auribus instillatus, dolorem earum compescit, & ex melle potus, hepaticis medetur. Idem comitiales recreat, & calculosis ac ischiadicis psenti est auxilio. Si quis syluestris maluæ succo perunctus

Malua, solaris herba.

Fauces, cutis vitia, renes, vesica, raucedo, venter, vulnus, luxata & fracta.

Inflãmatio, sanguis, serpens, aures, hepar, epilepsia, calculus & ischias

unctus erit cum oleo, vel plantam ipsam secum habebit, à vespis non pungetur. Quòd si recenter punctus fuerit, etiam infixo aculeo, idem opitulabitur succus, aut oleum simplex. Ius elixę & fervefactæ epotum, vrinæ finit tormina, & difficiles laboriosósq; partus soluit. Radice eius quæ vnũ habet caulem, dolentes dentes pungere, vtile esse docuit experimentum: necnon parturientes celeriùs eniti, substratis, maluæ folijs: sed protinus à partu remouenda sunt, ne vulua sequatur. In quã rem etiam prodest succus ex vino ieiunis exhibitus. Tradidêre nonnulli fœminas purgari folijs plenæ manus mensura, in oleo & vino sumptis. Eadem strumas, parotides & panos, addita hominis saliua, curant citra vulnus. Sunt qui adalligẽt tritum semen brachio geniturã non continentium. Quod vnum Xenocrates etiã tradidit (modò sit vnicaulis maluæ) adspersum genitali fœminarum, venereas auiditates mirũ in modum augere. Quanquam Olympias Thebana abortiuas esse dixit maluas cum adipe anserino in modum pessi vuluis inditas: quod tacuisse fortassis præstitisset. Dioscorides esculentiorem esse ait hortensem quàm agrestem, sed stomacho noxiam: quę, sicuti cauliculis suis ventri ac interraneis facilis esse probatur, ita vesicæ admodum idonia censetur. Semen cum vino, aqua & pauco aceto coctum, valde prodest contra ictus & morsus venenatorum, partim bibitum, partim loco affecto admotum: & cruda folia cum rosaceo trita, ambustis summè auxiliantur, quemadmodum etiam aqua decoctionis illorum. Eadem cum pane ad vulnerum impetus, commodè apponuntur. Et succus per se haustus, vel cum oleo liliaceo infusus,

Vesparum ictus auxilia

Vrina, partus, dentes, parturientes menstrua, strumæ, parotides, pani & gonorrhœa.

Venus, abortus, venter, vesica, venati ictus, ambusta vulnera, vulua, matrix, fœtus.

fusus, vuluas emollit. Addam quod fotus decoctionis maluæ, vel altheæ, seu ibisci duritiem matricis tollit, & eius ostiolum aperit. Nonnulli affirmant radicem gestatam fœtum continere, si vterum attingat: quod plerique etiam parietariæ ascribunt. Sunt qui contra mammillarum tumores illam cum rosaceo terunt, & subcalidam apponunt. Aduersus omnes aculeatos ictus, vires, vt diximus, habet admodum efficaces, præcipuè apum, vesparum, & similium. Si in vrina putrescat, manantia in capite vlcera sanat: adhæc lichenas, & oris paruulorum vlcuscula, cum melle. Q. Serenus decocto radicis videtur tradere vim miram aduersus capitis scammulas & furfures, de ea elegantissimis versibus ad hunc scribens modum.

Mâma, venenata, vlcera, lichenes, vlcuscula, porrigo, ignis sacer, ambusta, teinesmus & dysenteria.

Dum caput immensa pexum porrigine ninget,
Hanc poterit malua radix decocta leuare.

Folia ex rosaceo attrita & elixata, sacris ignibus, ac ambustis efficaciter illinuntur: Et semen ex vino nigro potum, à pituita ac nauseis liberat, salubriter teinesmo & dysenterijs infunditur, aut bibitur: necnon etiam asthmaticis & melancholicis. Quibus tamen, vt etiam insanientibus & calculosis, vel inflatione & opistotono laborantibus, multò salubrior esse solet succus tam exhibitus, quàm illitus. Radix eius quę vnicaulis est, mammarum vitijs occurrit, in nigro vellere alligata: & ex lacte, sorbitionis modo sumpta, tussim paucis diebus emendat. Iusculum totius plantæ cum sua radice, contra omnia venenata plurimùm valet, si potum identidem vomatur. Hippocrates adnotâte Plinio, vulneratis, & sanguinis defectu sitientibus, coctæ radicis succū sum-

Pituita, nausea, asthma, melancholia, insania, calculus, inflatio, opistotonus & mámæ

Tussis, venenata, vulnera.

summa efficacia bibendum dedit: vulneribusq; radicem cum melle & resina salubriter imposuit, necnon luxatis, contusis, tumentibusq; musculis, & neruis, atque articulis affectis. Sed mirum est aquam addensari & lactescere, in qua trita maluę radix, horas aliquot sub dio emaduit: quam ad multa vtilem esse nouimus, ac eò efficaciorem, quò recentior fuerit: nec ignoramus Theophrastum id altheæ, seu ibisco, ascribere, potiùs quam maluæ.

Luxata, côtusa, musculi, nerui & articuli.

Aqua maluæ lactea.

Lathyris, seu Cataputia minor: adhęc Ricinus, vel Cataputia maior, aut Palma Christi, cum medicis vtriusque auxilijs.

AREA. XI.

RESTANT in hoc hortensium herbarum medico theatro plantæ duæ, Lathyris & Ricinus, nobis solita methodo describendæ. Has sanè vel præterire, vel dissimulare animus erat, propter abutentium incommoda, nisi me ab ea sententia reuocassent improbæ, proborum aliquot amicorum, preces, quibus nihil improbius in rectis consilijs esse potest. Cuperem, ita me Deus amet, frutices istos admodum suspectos, ex omnibus hortis radicitus euelli, potiùs quàm coli, & à consortio florum ac olerum penitus excludi nec tam curiosè curari. At futurum mihi pollicеor, vt hac narratiuncula legitimus plantę vtriusque vsus innotescat. Quando itaque visum est, etiam magnatibus, vt in censu & cœtu suorum hortensium essent, de illis, qua cœptū est methodo, sincerè hîc scribam, à Lathyride facto gradu primo, quàm Gallicū vulgus & rura, *Espurgiā* vocant,

Lathyris & Ricinus periculosi frutices.

vocant, quòd ventrem purget ac inaniat: & officinæ, *Cataputiam minorem*, quòd, nisi fallor, in orbiculis, & pilulis, ceu paruis catapotijs semen ferat. Vel, quòd granis eius ad soluendam aluum, & ciendas vomitiones, pro catapotijs & pilulis vtantur non solum populares: sed etiam satis inconsultè, ne dicam temerè, magnates & aulici plerique. Totus frutex copia lactis turget, folia habens amygdalinis proxima: sed ita vt quæ in sum mis emicant ramulis, minora ijs videantur quæ caulē ambiunt. Gerit pilulas in cacuminibus, triplici cellula ac loculamento distinctas. In quarū ventriculis, aut si mauis, vtriculis, grana septem vel octo, continentur, intercursantibus membranis discreta, rotunda, & eruis maiora. Quæ corticibus exuta, candida spectantur, & gustu dulcia: horum viginti ex pura aqua, vel mulsa pota, hydropicos sanāt. Qui vehemētius purgari volunt, ea cum suis folliculis sumunt: sed quia stomachū impensè lędunt, excogitatū est, vt cum iusculo pi sorū, aut gallinacei capiantur. Granis septenis vel octonis in catapotio ad vacuandam aluū vti cōcessum est, sed infrænari debent & corrigi cū stomachicis, cynnamomo, mastiche, aniso, vel fœni culo, alioquin ventriculū ac intēstina turbabunt. Hæc eadem mandi solent ac deuorari cum sicca ficu, vuis passis, aut palmulis, sed aqua frigida est superbibenda. Trahunt aquam, bilem & pituitā. Folia cū gallinaceo, vel oleribus, aut iusculo alio decoquuntur, ad eosdem effectus. Dantur grana minora xx. maiora verò xv. plùs minùs, pro sumentis ætate & viribus. Qui efficacius purgari volunt, grana, Aëtio autore, debent mandere: qui verò parcius, integra deuorare: præsertim

Nomēclaturæ Lathyridis.

Descriptio Lathyridis.

Legitimus Lathyridis vsus.

Quos humores vacuet Lathyris.

qui sunt imbecillo ventriculo. Vt vt sit, cautè, & parcè vtendum moneo.

Ricini nomina, & eorundem ratio.

Ricini fruticem recentiores herbarij *Cataputiā maiorem* vocant, quòd semina eius in pilulis maioribus claudantur, quàm in lathyride. vel quòd catapotiorum more purget. Gallicum vulgus, cū officinis *Palmam Christi* nuncupat, quòd eius folium in effigiem manus & palmæ articuletur. Seritur in plerisque hortis ad arcendam, vt volunt, effodientium, ac passim tumulantium talparum iniuriam.

Talparum fuga.

Prosilit instar paruæ arboris, folio vitis æmulo, sed nigriore, ramis cauis, & in arundinis modū fistulosis, semine in asperis vuis clauso, & *Kerua* officinis dicto. Quod vnum suis corticibus spoliatum, ricini animalculi fœdi ac liuidi effigiem tam proximè repræsentat, vt si vita adesset, planè ricinus esse videretur: vnde huic plantæ impositum nomen.

Pulchra ricini descriptio

Plantæ huius triginta grana, vel vt placet Ioā. Mes. quod verius puto, quindecim ad summum, & septem ad minimum, suis putaminibus repurgata, bilem & aquas per aluū ac vomitiones, potu deijciunt. Vrinas etiam mouent, sed iniucunda, vt loquitur Diosc. potione: quam sequitur violenta stomachi subuersio. Eadem tusa & imposita, varos ac maculas à Sole cōtractas emendant: tritaq́ folia cum polenta, oculorum tumores & epiphoras sedant, ac turgentiū mammarum inflammationes coërcent. Cum aceto illita, sacros ignes restinguunt, & per se triduo imposita, faciem purgant.

Bilis, aquæ, vrinę, vari, oculi, epiphoræ, mammæ, ignis sacer, & facies.

Sed pulchrū, & sanè q̄ vtile fuerit hîc audire Ioan. Mesuæ, de Ricini, seu grani Regij, vt vocat facultatibus egregiè differētem: Ricinus, inquit, pituitam ac interdū bilem violenter purgat, deiectione & vomitū: materias quo-

quoque & serosam aquam à iuncturis trahit. Dãtur grana eius trita & cocta in iure galli antiqui, conferuntq́ dolori colico, & iuncturarum, vt podagræ, chiragræ & ischiadi. Aut coquuntur in aqua casei, vel caprinum lac super ea mulgetur, colatur, & ita hydropicis vtiliter exhibetur. Oleum ab his expressum, cicinum seu ricininum dictum, colico dolori à pituita & flatibus summè confert, adhæc morbis articulorum. Corrigitur ricini noxa, eo modo quo lathyridis, estq́ eius dosis à granis septem ad grana quinque, vt paulò antè scripsimus. Sed iam tempestiuum est, vt hãc hortensium plantarum medicam historiam claudamus, & domesticas arbores, cum suis fructibus, eadem persequamur methodo.

Colicus dolor, podagra ischias, iuncturæ, hydrops & articuli.

HORTI MEDICI CAMPVS SEPTIMVS, POMIFERAS ARbores, *cum suis fructibus, areolis tredecim describens.*

Malus & eius pomum, cum medicis vtriusque auxilijs & facultatibus.
AREA I.

HActenus, quod fœlix, faustumque sit, hortensia & domestica olera, radices item, & odoratas herbas, necnon fœtus herbaceos, ac flores, plantasque inodoras, pro nostræ mineruæ tenui captu, vtcunque expediuimus. Superest, vt simili methodo frugiferas hortorum arbores, vitæ humanæ accommodas, explicemus: & maximè illarum fructus: ab his auspicãdo qui molli tu-

Parasceue ad sequentem narrationẽ.

Pomi & nucis significatio.

li tunica vestiuntur, & à Grammaticis generali nomine *Poma* nuncupantur. Hinc gradum facturi ad eos, qui dum maturuerunt, dura & lignosa veste forinsecus teguntur, & *Nucis* appellatione comprehenduntur: à malis itaque exordimur, quorum arbor tam prædijs rusticis, quàm vrbanis paradisis, aut, si mauis, hortis & viridarijs per quàm familiaris esse solet. Diphilus, Græcus agricola & medicus, tradit mala, quæ nondum maturitatem attigerunt, noxium succum in corporibus gignere, bilemque ac morbos excitare, & horroris causas promouere. Quæ verò maturitatem assecuta sunt, melioris esse succi pollicetur: propterea quòd aluo facile excernuntur, ob minorē acerbitatem. Acida improbum humorem gignūt ac magis substringunt. Atque, vt rem diffusam paucis colligam, malis vti debemus sobriè & circumspectè, pro vincentium saporum facultatibus & naturis. Austeris, cùm ventriculus propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem imbecillus fuerit: Acerbis, dum hæc multum aucta videbis: Acidis, dum crassum succum, qui nō magnoperè frigidus sit, in ipso collectum suspicabēris. Siquidem frigidus succus non acidis, sed acribus expugnatur. Quæ in hyemem, ver & æstatem optimè seruata fuerint, ea morbis sæpenumero perquàm vtilia esse solent: modò farina aqua subacta circunlinantur, & clibano coquantur, aut calidis cineribus mediocriter assentur, vel ad aquæ bullientis vaporem tenerescant. Dare autem conueniet statim post cibum: aliquando etiam cum pane, ad ventrem & stomachum roborādum, his qui cibū fastidiūt, ac tardè concoquūt quiq; vomitu, diarrhœa ac dysenteria infestatur.

Mala matura, immatura & acida.

Mala austera acerba & acida.

Mala ægrotantibus vtilia.

Venter, stomachus, vomitus, diarrhœa, dysenteria & nausea.

In

In quem vſum apta ſunt acerba: nã parata vt modò dixi, mediocrem agnoſcunt adſtrictionem. Hîc minimè ſuperuacaneum erit admonere ex Plutarcho (licet parum ad medicam noſtram hiſtoriam pertineat) quòd mala tam grauia eſſe ſolent geſtantibus dorſuarijs iumentis, etiam ſi pauca portent, vt oneri, viribus alioquin non impari, ſuccumbant, ac ſudando deficiant: ſolo odore (vt Latinus putat Apuleius) adeò illa offendente, vt animo linquantur. Quod ad mala cydonia, ſummè odorata, referendum potius crediderim: vt vt fuerit, facilis admodum erit experiẽtia cuiuis. Remedium præſentiſſimũ eſt oblatus panis, quem ſi vorarint, vt ſcribit Plinius, ſeſe protinus recolligũt. Vitabitur id periculi, ſi aliquot priùs conſpicienda aut odorãda illis offeras. Modos varios, & formulas item diuerſas cuſtodiendorũ cuiuſuis generis pomorũ, reperies in noſtris hortorũ Secretis. Illud mihi penè exciderat: Malum dulce odoratũ, ab interioribus ſeminibus mundatum ſi olibano impleatur, & ſuperaddito ſuo operculo ſub cineribus abſq; vſtione coquatur, deinde à pleuritico edatur, rem planè admirandã operatur. quod in deploratis ſemel atque iterum experti ſumus. Pulchrum, & notandũ. Mirum auxilιũ pro pleuriticis.

Pyrus & eius fructus, cum medicis auxilijs ac facultatibus vtriuſque.

AR. II.

Quæ de malis ſcripta ſunt, ſi ad pyra transferantur, nihil nouo ſermone opus erit. Nam in his quoque alia auſtera ſunt, alia acerba, quædam acida, nonnulla dulcia, & multa ex horum miſtione compoſita. Sunt quæ nullam inſignem Pyrorum differentiæ.

gnem qualitatem præ se ferant: quo fit vt cum aquea sint & hebetia, nulla roborandi vi pollant. Talis itaque pyrorum vsus erit, qualis malorum, vt præclarè scripsit Galenus: qui aquosam dulcedinem omnibus ferè tribuit pyris cum lenta acerbitate: quod inæquale temperamentum arguit: & ob id à cibo sumpta conferre stomacho tradit: præsumpta verò, aluum substringere.

Pyrorũ crudorũ vsus ieiunis onerosus.

Sanè pyrorum omnium crudorum vsus, etiam valentibus onerosus esse solet, & maximè ieiunis: decocta multò salubriora cẽsentur. Sunt qui diuisa, & granis purgata, Sole siccent vel clibano, hisque per hyemem, & Ichthyophagiam, vino vel calente aqua maceratis & saccharo respersis iucundè vescantur. Pyrorum genera omnia adstringentia, vsum habent accommodum repellentibus cataplasmatis. Aduersantur etiam boletis & fungis: nam illos extrudũt pondere, & pugnante prementeque succo. Scripserunt nonnulli quòd pyra in cubiculo enitentis & parturientis reposita aut latentia, partum difficilem faciunt. Sed id cotoneis malis, vt mox dicemus, ascribendum esse mihi fidem fecerunt amici aliquot, qui naturæ arcana per rerum experimenta quotidie quærunt & scrutantur.

Remediũ aduersus boletos & fungos.

Cotonea arbor & eius fructus, cum medicis vtriusque auxilijs. AR. III.

Cotoneorũ differentiæ.

POmi arboris istius figura, vt superiorum, simpliciter exprimi nequit: quoniam cotoneorum alia incisuris crispantur, colore ad aurũ vergente, ex quo Græcis χρυσόμηλα, & Virgilio aurea mala, vt multis placet, dicta sunt. Alia candidiora videntur & odoris præstantissimi: Alia

stru-

ſtruthea nuncupantur, ſerotino prouentu maiora, & neſcio quid ſuauius reliquis vibrantia. Habentur præterea ſylueſtria parua, in ſepibus plurimùm naſcentia. Quotquot ſunt, tenui lanugine omnia pubeſcunt, & fragrãti odore nares exhilarant, ac cerebrum roborant. Plutarchus autor grauiſs. memoriæ prodidit cotonea mala, ſeu cydonia, odoris ſui præſtãtia lethalium venenorum vires retundere, eorumque vehementiã hebetare. Addit, pharicum, præſens alioquin venenum, in patinam adhuc cydonium, vel eius ſalgamum olentem, ignauum fuiſſe ac elanguidum: necnon à peculiari ſua natura viribus exhauſtis defeciſſe: ac ita incolumes & illæſos euaſiſſe omnes, quos inſidiantes venefici eo potionarãt. Idq; tandem compertum fuiſſe illorum relatu qui venenũ vendentes rem ita habere deprehenderunt. Cœliacis cruda proſunt cotonea & cocta: necnon dyſentericis, orthopnoicis, cholericis & purulentum excreantibus. Oris gratiam & halitum ſummè commendant. Vnde Solon, vt Plutarchus ſcribit, vxoribus præcipiebat ne irent cum maritis cubitum, niſi cydonium malum priùs deguſtaſſent. Maceratorum humor, ſtomachi atque alui fluxionibus opitulatur. Quæ cruda in melle condiuntur, vrinas proliciunt, & mel eorum naturam induit, adſtringendi & conſpiſſandi vim imbibens. Quæ verò cocta melle condiuntur, ſtomacho vtilia ſunt, & guſtui iucũda: ſed conſtringendi vires deponunt. Cruda in cataplaſmate, aluum ſi fluat retinent, & ventriculum ſi in vomitiones effundatur, vel ardore conflagret, roborãt ac firmant. Simeon Sethi in libro quem de cibarijs ſcripſit, tradit cotonea in ædes

Lethaliũ venenorũ auxilium, cũ pulchra hiſtoria

Cœliaci dyſenterici, orthopnoici, cholerici, purulenti & halitus.

Stomachus & aluus.

Vrina, ſtomachus, vomitꝰ partus & parturiens.

parturientis perlata, vel ibi latentia, partum non solùm remorari, sed difficilē ac laboriosum reddere. Quibus nihilominus si suæ gestationis tempore crebriùs vsa fuerit, fœtum pariet ingeniosum, vt ille idem admonuit. Quod ad conditu-ram cydoniorum attinet, quam cydoniatum & cydonitem appellant, præstans admodum fiet (vt id etiam obiter adnotemus) si aperta, cotonea, & ab omnibus suis interaneis repurgata, nec non in taleolas diuisa (sed superstite pellicula & cute summa, quæ valde est odorata) in aqua, donec tabuerint, coquantur: postea per linteum colata, ac violenter compressa, excernantur: & cum optimo saccharo recoquantur. Quod dum fit, si adieceris selecti rhabarbari sufficientem puluerē habebis incomparabile cydoniatum, non dicam ad ciendam aluum & purgandum corpus valde ideoneum, sed etiam ad roborandum hepar, ventriculum & viscera omnia: longè sanè tutius & salubrius quam ex Lugdunensi illo scammoneato & diagridiato cydonite: quem cane peius & angue vitandum hortor & suadeo his qui suæ valetudinis seduli custodes esse satagunt, ob sæuissima & periculosissima symptomata, quibus vtentes sæpenumerò excruciari & mirè excarnificari vidimus, vitæ nonnunquam irreparabili iactura. Quod monuisse, & meminisse iuuabit. Pulchrum est etiam ac multorum experimentis confirmatum quod sequitur. Diuidatur cydonium, & sublatis interaneis, seminibus nimirum cum suis folliculis, impleantur partium cauitates, puluere optimi rhabarbari haud negligenter triti, vel seminum cartami mundatorum, vel agarici trochiscati aut alterius, vel epithymi, vel

Præstantissima cydoni atū cōpositio

Cydoniatū Lugdunense periculosum

Quomodo pareiur & coquatur cydoniū, aluū absque molestia vacuans.

vel foliorũ sennæ orient. vel alius simplicis medicamenti purgantis, quale visum tibi fuerit: deinde vniantur dictæ partes, papyro inuoluãtur, & ligatæ coquantur perfectè vsque ad tabem in clibano, vel foculo. Absoluta coctione soluatur cydonium, aperiatur, & abiectis medicamentis internis, pulpa manducetur. Purgabit absque vlla noxa & molestia (imò verò purgando roborabit) ventriculum, hepar, & corpus vniuersum, eo (inquam) humore, quem immissum & concoctum medicamentum vacuare aptum erit. Quòd si diuersæ naturæ & facultatis medicamenta incluseris, diuersos humores vacuabis. Verumenimuerò, si maiusculum erit cydonium, poteris dilatare seminum loculamenta ac cellulas, vt capaciores fiant excipiendis idoneis medicamẽtis, quantitate à docto medico tibi præscribẽda. Sed tutiùs est vti minusculo, ampliata, si opus fuerit, cauitate, vt totum manducare poßis. Quod fiet absque vllo tædio ac nausea, si expertis credis, qui mihi pro tam iucundo & salutari secreto gratias immensas egerunt, quo te quoque participem, gratis facere visum fuit. Venio ad alias cydoniorum facultates. Si succum astringentium cotoneorum cum pari mellis rosacei portione coxeris, & eo tonsillas vel vuulam inflammatam aut oris putrilagines illeueris, illinc summũ auxilium experieris. Addò quòd integrorum cotoneorũ decoctio salubriter propinatur & infunditur aduersus tormina & dysenteriam. Crudorum succus, doloribus mammarum confert: & decoctum florum arboris, fotu prohibet ne vterus decidat, aut fœtum lubricum reddat. Decoctio carnis & pulpæ, sedes & vuluas prociduas

Pulchra & notatu dignissima.

Tõsillæ, vuula, oris putredo, tormina & dysenteria.

Mãmæ, vterus, fœtus sedes & vulua.

coërcet, ac easdem ab inflammatione liberat. Sed in cydonijs versatum satis.

Prunus ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. IIII.

Prunorum differentiæ variæ. PRunorum differentiæ apud nos esse solent innumeræ, ac ferè inexplicabiles: sed prima omnium laus Damascenis tribuitur: à Damasco Syriæ monte, vt scribit Galenus, oriundis, & cognominatis, nobisque admodum familiaribus. *Prunidactyla & nucipruna.* Secundas partes sibi vendicât, quæ Prunidactyla vocâtur, à digiti longitudine, vt puto, dicta: ouata ferè specie, & carne admodum suaui. Habêtur & nucibus insita, quę faciem & succum adoptionis repræsentant, & ab vtroq; parente Nucipruna appellantur. Sed hæc nihil ad medicas illorum facultates & præsidia. *Aluus quomodo emolliatur.* Pruna itaque, dulcia præsertim, ex aqua mulsa, aut alia, decocta, si prandium inchoent, ventri molliẽdo ac mouendo sanequàm sunt idonea: modò non illico supra earum assumptionem prãdium sequatur, vel cibus, sed semihorula interponatur. Quę acidula sunt, postrema mensa apponi debent, ad os ventriculi roborãdum. *Vẽtriculus vuula, gingiuæ & tonsillæ.* Folia arboris in vino cocta, vuulam, gingiuas et tonsillas fluxione laborãtes, gargarizatu, vel oris collutione iuuant ac reprimunt. Idem præstant syluestrium prunorum resiccatæ baccæ dum maturuerunt. Quæ si in austero vino coquantur, aluum sistunt, ac eius sedant tormina. *Aluus, calculi & lichenes.* Gummi trunco prunaceorum & prunorum adnascens, cõglutinat, & in vino potum calculos frangit: lichenásque infantium ex aceto perũctum sanat, vt scribit Dioscorides. Sed tempestiuum est vt Ioan. Mesuæ audiamus, medicè

dicè et argutè de prunorum facultatibus hunc in modum differentem: Pruna aluum subducunt & alterant, sed alba, flaua, rubra, minùs sunt medicamentosa, quàm nigra. Quorum quæ μέσα sunt, hoc est dulcacida, alterant magis. Dulcia largiùs soluunt, tamen vtraq; alterant & soluũt, magis scilicet & minùs. Damascena & Armena, vtrunq;, præter cætera præstant, humida tamen, potiùs quàm sicca: quæ etiam in ventriculo, prõptiùs quàm sicca corrumpuntur. Omnia lauant, leniunt, refrigerant, bilem educunt: & ob duo hæc, biliosis tum febribus, tum morbis alijs sunt salubria: stomacho nocent, ac pauci sunt alimenti. Quia imbecilliter soluunt, eis adduntur, præsertim infusione, cassia fistula, manna, tamar Indi, violæ conditæ. Ex horum carnibus coctis fit electarium, in eadem quæ priùs, salubre. Porrò, si truncũ Pruni arboris locis duobus, vel tribus, palmę vnius interuallo, perforaueris, et immisso scammoneo lutaueris, pruna ob id purgantiora euadent. Hactenus Mesues. Hæc sint pro coronide in gratiam ægrotantium. Si pruna passa modicè cocta, & compuncta, in frigidam merseris, tumere ac pulpa multùm turgere videbis. Idem etiam continget absq; coctione, si passim puncta, biduo aqua frigida macerauerís. Quod & vuæ passæ, & fructus alij etiam agnoscunt. Sed de ijs fusiùs à nobis alibi scribendum propediem.

Quomodo fiant pruna aluum subducentia.

Pulchra & notatu digna.

Cerasus, ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. V.

Speciosissimos hortensium arborum omnium fructus gignit Cerasus: adhæc varios & diuersos: quò fit vt diuersa quoq; sortiantur nomina

mina, quæ hîc explicare non admodum laboro, contentus docere, quòd Francis cerasi nomē fructus ille propriū sibi fecit, qui mediocri arbore nascitur, pomo rotundulo ex breui pediculo dependente, & inter virentia folia dum maturuit, carbunculi modo elegāter rubente: cui caro multa & mollis, necnon succosa inest: solétque vsus eius maximè placere grato acore: vnde morosa ægrotantium palata mirè recreat, & prægnantiū malacijs summè expetitur, antè quàm ad vnguē maturescat. Diphilus Siphnius, arte medica aliquanto tempore post Hippocratem admodum celebris (vixit enim ætate Lysimachi successoris Alexandri) de cerasis hunc in modum scribit.

Fructus cerasi descriptio pulcherrima.

Cerasorum facultates.

Cerasa bonum succum creant, sed parū alimenti subministrant: stomacho ęstuāti grata sunt, & eidē auxiliātur sumpta in frigida: sed rubētia præstant & Milesia, ꝙ vrinam pellant. hæc ille: cuius æuum ideo ꝓferre volui, vt refellatur error illorum qui cerasa à Cerasunte Pontico municipio dicta cōtendunt: et à Lucullo, deuicto Mithridate, illinc in Italiā primum deportata. Sed redeo ad medica pomi huius auxilia. Quæ dulcia sunt cerasa ventrē emolliunt ac mouent, quē acida vel passa indurant ac continent. Eadē, acida inquam, refrigerant & adstringunt: quò fit vt flauā bilem restinguāt et iecinoris infarctus liberent. Gummi quod de arbore stillat, ex vino diluto sumptum, gutturis asperitates lenit, colorē cutis gratiorem reddit, oculis claritatē adfert, veteri tussi medetur, lichenas infantiū ex aceto curat, et (quod vtiliter experti sunt multi) calculosis ex vino albo summè ꝓdest. Penè omiserā quod memoratu dignum arbitror. Aqua distillationis cerasorū non multò

Venter, bilis, iecur, guttur, cutis, oculi, tussis, lichenes, & calculus.

Aqua mira pro epilepticis.

multò antè ex arbore decerptorũ, vi ignis mediocris excepta, si in os epileptici infundatur, quoties eũ paroxysmo laborare cõtigerit, inhibetur impetus morbi violẽtissimi. Res preciosa, & sæpenumero ꝓbata à Ioanne Manardo Ferrariensi medico præstãtissimo. Pauca supersunt. Inuenio apud autores, inquit Plinius, ꝙ si quis matutino roscida aliquot cerasa cum suis nucleis deuorarit, ei aluus in tantũ leuatur, vt pedes morbo liberentur. Sunt qui æstuante & cãdenti Sole, vsq; ad rugas siccant. Alij blando & temperato clibani calore idem assequuntur: eoq; modo optimè seruant ad sanorum & ægrotantium vsum. Aluus & pedes. Cerasorum custodia nõ spernenda.

Morus ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. VI.

VRbanarum arborum omnium, vt scribit Plin. nouissima floret Morus, serotino germinatu se prodens, nec nisi exacto frigore: vnde arborum sapiẽtissima nuncupatur, licet fatuæ & stolidæ nomen à Græcis, κατ' ἀντίφρασιν adepta sit. Succus foliorũ, aut radicis vtilissimus est gargarizatu contra cynanchem, ac præfocationem. Et folia ex aceto illita, ambustis medẽtur. Si quis autem acceperit mororũ semimaturorum vnciam vnam, & rosarum siccarum tantundem, omniaq; melle miscuerit, modicè coxerit, & expresserit, habebit salutare medicamentũ ad tõsillas & vuã inflammatione tentatã, necnon oris putrilagines ac vitia. Corticis succus vulnera glutinat. Quod ad naturam pomorum istius arboris attinet, quę mora nuncupant, si matura fuerint, aluũ soluunt ac lubricãt: sed in ventriculo statim corrumpuntur. Humectant pręterea, ac modicè refrigerant, Morus vnde dicta. Cynanche, præfocatio, ambusta, tõsillæ, vuula, oris putredo & vulnera. Mororum natura. Aluus.

nisi

nisi actu frigida sumantur: quòd si non superueniat alius cibus, facilè intumescūt. Immatura vētrem fluentē retinent: quæ si Sole vel clibano calente siccata fuerint, & in puluerem trita, non solùm obsonijs iucūda erunt, sed etiam cœliacis, & dysentericis summè proderunt: valebuntq́ aduersus vlcera quæ pascēdo serpunt. Sunt qui dentes putridos & gingiuas coluant eo puluere ex vino. Folia arboris trita & cum oleo illita, valent ad ambusta, capillúmque tingunt cum folijs vitis nigræ & fici simul coctis in aqua cœlesti. Eadem in vrina madefacta, pilum corijs detrahunt. Ramus ex arbore Luna prima defractus, cum incipit turgere fructu, proficit (vt magi existimant, & adnotat Plin.) contra mensium abundantiam, si mulieribus lacerto alligetur: modò ille terram non attigerit, nec in posterum contingat. Subditque hunc non modò fœmineum sanguinem sistere ex vtero multùm emanātem, sed etiam ex vulnere, ore, naribus & hæmorrhoidibus. In quam rem multos ramum illum religiosè seruare dicit. Faciet experiētia fidem. Multi foliorum & corticis decocto, dētium cruciatum collutione efficaciter emendarunt. Hîc Plinianum miraculum de moro nō tacebo, etsi ad medicum hoc nostrum institutum nihil facere videatur. Morus, inquit, laurus, & hedera mutuo attritu ignē facilè concipiunt: quod exploratorum vsus in castris, pastorúmque industria reperit: quoniam ad excutiendum ignem nōn semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, & arido vomite excipitur scintilla. Sed nihil hedera præstātiùs quæ teratur lauro, & laurum terat. De moro & moris sint satis ista tibi.

Fluor alui, cœliaci, dysenterici, vlcera, dentes, gingiuæ ambusta, capillus, menses & sanguis.

Pulchrū nisi esset superstitiosum.

Sāguis, vulnus, hæmorrhoides, & dentes.

Miraculum notatu dignum.

Persica arbor, ac eius fructus, cum auxilijs & facultatibus vtriusque. AR. VII.

Persicorum genera tria apud nos agnoscuntur. Vnum *Præcox* appellatū & *Antepersicum*, quòd cætera persica longè præueniat: ex quo *Abricocum* Gallis dici cōsueuit, ac si diceres præcocum, olim *Armeniacum* nuncupatum, æstatis initio nobis familiare et esculentum. Alterum est populare cuique notum, & sub finem æstatis maturescens, citiùs, tardiùs, pro cœli & soli natura. Tertium ex re *Duracinum* vocatur, quod carne constet dura: quæ tam pertinaciter ossi adhæret, vt auelli nequeat, vnde *Pressum* vulgus nūcupat, quòd caro, ceu agglutinata ligno interiori, valde apprimatur. In quo etiam genere inueniuntur quæ sanguinea pulpa turgeant, & nucleum, vel si mauis, os internum, vbi diuiduntur medium aperiant: ac veluti farina quadā mollita: saccharatáue vndiq; respersum, vnà cum adhærēte pulpamento præ se ferant. Cuiusmodi sobolem innumeram, maiore quàm alibi corpore, alit Mōlucianus ager, natale mihi solum, in Borboniorum ducatu & prouincia notissimam. In eodem & superiori genere Persicorum reperiūtur, quæ cotoneorum more, intus & extra summè flauescant. Alia sunt genera olitorio mangonio, & insitionis adulterio prognata, quæ hîc prudens omitto, vt medica tam arboris, quàm pomi eius remedia persequar. Galenus Persicorum genus omne damnasse mihi videtur, ceu praui succi alimētum, ob facilem corruptionem. Quod de popularium persicorum genere cum doctis intelligendum esse puto: quo vno, etiā Plinij seculo, nedum

Persicorum genera & nomenclaturæ.

Persicū duracinū, pressum, sanguineum & flauum.

Persicis popularibus nihil fugacius.

dum Galeni, nihil fuit fugacius: nam longissima decerptis mora erat bidui, & ob id cogebãt se illico venundari, vt hodie, etiã de multis, fieri solet. Hinc nimirum primis mensis semper edenda præcepit idẽ Galenus, præsertim quæ carne constant humida, & aquoso pulpamento: nam postremis epulis sumpta, stomacho innatare solẽt, & quidquid prægustatum fuit, vnà in tabem & corruptionem secum deducere. Quę si præierint, lubrico meatu viam facilem alijs cibis sternunt. Innocentiora his causis traduntur esse præcocia, & quę carne constant nullatenus humida, qualia sunt Parisiensibus Corbelliana: nam corruptioni facilè non patent, neq; acorem citò contrahũt, & ob id stomacho suauiter commodant. Vulgus Gallicum sibi persuasit persica suo nucleo noxã expedire, quam eorum pulpa attulerit. Nec temerè, nam incidendi, detergendi & aperiendi facultate ille idem pollet nucleus, qua ex reimprobitati pulpæ occurrit. Noxa etiam vino generoso tollitur, siue illud superbibatur, siue persicum in eo madescat & innatet. Quod populari & rythmico sacrificuli cuiusdã versu, hunc in modum per mensas iactari solet,

Persica Corbelliana.

Quomodo tollatur noxa a persicis.

Petre, quid est pesca? cum vino nobilis esca.

Pestis, lumbrici, obstructio etcaput.

Nuclei per auram pestiferã sumpti, maximoperè prosunt, lumbricos enecant, & obstructiones tollunt. Qui, quòd summè sint amari, & linguæ parum grati, saccharo excipi & condiri à multis solent. Cum aceto & oleo triti, capitis doloribus vtiliter illinũtur: sed quibus, & qua ex causa, nõ scripsit Plinius: qui plerunq; remedia absq; limitatione pronunciat, vnde cautè & circunspectè legendus est. Persici flores aluum deijciunt, tam

esu,

esu, quàm iusculo immissi: sed non absq; labore, & ventriculi ac hepatis detrimento. Quod minore noxa pstabit aqua vbi flores illi amarulenti septena commutatione macerati fuerint, modò cum saccharo ad Zulapij consistentiam decocta sit. Nam præterquàm quòd alui excrementa deijcit, etiã vermes vnà extrudit: quos trita folia, & puerorum vmbilicis admota, similiter perdunt. Prætermissum hîc nolim quòd persica locis irriguis nata & educata, dẽtibus, cordi, oculis ac pulmoni valde obesse solẽt: locis aridis, contrà: quẽadmodũ doctè adnotauit Albertus re vera Magnus. Nolim insuper omissum, q; qui impleuerit fictile floribus Persicis, & obturato ore pmiserit dies aliquot sub terra macerari, vel in fimo putrescere, exprımet oleũ, quo si inungat pulsus, tẽpora & spinã, ante accessiones febrium putridarũ, certo experimento illas curabit. Quod à Germano quopiam medico ingenuè acceptum fero.

Aluus & corporis lũbrici.

Febres.

Mespilus ac Sorbus, earúmque fructus, & medica auxilia ac facultates. AR. VIII.

DVo poma duarũ arborũ rusticarũ potius quàm vrbanarũ, vna (quod dicunt) fidelia hîc dealbabimus: mespilũ nimirũ & sorbũ. Prior arborum istarum, Mespilus inquam, Gallis nũc *Meslierus*, nũc verò *Neflierus* dici solet. Cuius duo sunt genera. Vnum, quod rarioribus spinis horret, nascitúrque in dumetis, nemoribus & viuis sepibus, quasi syluestre: cui pomũ paruum inest, & per initia tam acerbum, vt vix edendo esse posfit, nisi hyemis frigoribus excoctum mollescat. Alterum grãdiore pomo sese profert, ita vt mala magnitudine sua sæpenumerò peræquet, absque

Mespili genera duo.

vllis ſpinis. Quod crebro inſitu et cultu in hortis habitaſſe, & feritatem depoſuiſſe dubium nõ eſt.

Sorborum differentiæ quatuor.

Sorbus, Gallis *Cormierus* vel *Sorbierus* vulgò nũcupatur: poma gerens quatuor differentijs à Plinio diſcreta. Nam quædam rotunditatem mali præ ſe ferunt: altera turbinationem pyri: tertia oualem formam: quartum genus torminale appellant, remedio (vt ſcribit ille) tantùm probabile. Venio ad medica vtriuſq; auxilia. Meſpili immaturum pomum, plerique omnes vſurpare ſolent ad coërcendum alui immodicè ruentis impetum.

Alui fluor, dyſenteria, & renum lapilli.

Non deſunt qui ſiccata arboris folia, & in puluerem redacta, clyſteribus dyſentericorũ magno & fœlici ſucceſſu remiſceant. Eſt ſanè memorabile & miratu dignum, quòd licet meſpilorum caro adſtringentis ſit naturæ (de immaturis loquor) nihilominus puluis eius lapillos in renibus vehemẽter comminuit. Cuius rei periculum efficaciſsimum à ſe factum teſtatur Ant. Muſa, medicus apud Ferrarienſes doctiſs. & exercitatiſs. Scio non deeſſe qui de oſsiculis idem polliceantur, vt Braſſauolus, et alij qui id certa conſtantiq; probauerunt experientia, quam nos in rem ſæpenumero fœliciter etiam cõtulimus, dato illius cochleari ex vino albo cum puluere aniſi. Sed de ijs plura in noſtra Memorabilium omnis generis Chiliade.

Meſpilis & ſorbis vtendũ ceu medicamento.

Quòd ad ſorborum poma attinet, Galenus eadem facultate pollere ſcribit, atque ſuperiora: cenſétque duobus his parcè vtendum, & non affatim, vt de ficubus ac vuis fieri ſolet. Nam illis, ceu cibis, nequaquam indigemus, quin potiùs vt medicamentis.

Remedium aduerſus fluorẽ alui.

Dioſcorides diſſecta ſorba priùs quàm matureſcant, Sole deſiccat, ꝓbabili remedio ad aluum retinẽdam, ſi nimiùm fluxerit

xerit, aut lubrica fuerit. Idem vsus esse consueuit farinæ siccatorum & pila contusorum, si polentæ modo sumatur, aut iusculis & pulticulæ miſceatur, clysteribúsue immittatur: quod etiã decoctum eorundem immaturorum præstare adfirmant experti. Memorabile sanè est, & ob id nequaquam prætereundum, quòd si quis à cane rabido aliàs morsus, iacuerit sub sorbo, periclitatur in rabiẽ rursus incidere: nam consopitã excitare creditur arboris huius vmbra. De qua, & superiore, hæc satis erũt, propterea ꝙ in Gallicanis hortis multis nondum habitare consueuerunt. Notandum. Rabies.

Citria arbor, eius fructus, & medica vtriusque auxilia. AR. IX.

IN hac medica pomiferarũ arborum narratione, aliquot nobis supersunt memorabiles explicandæ arbores cum suis pomis. Quæ tametsi in septentrionalibus hortis & agris nostris ęgerrimè nascantur & foueantur, de his nihilominus hîc scribere non detrectabo, vt labor noster omnibus ex æquo prosit. Citria arbor in his primum obtinebit locum: quæ sicuti Theophrasto Medica & Persica, Plinio verò Assyria nominatur, ita illius quoque pomum, Medicum, Persicum & Assyrium nuncupari legimus. Quod cum sua parente, gentes plurimæ ob remedij præstantiam, olim ad se transferre frustra sudarunt. Plinij æuo in Italia nondum vigebat: primusꝗ Neapolitanus Palladius è Medis in Latiũ, cultu vario & multiplici cura ac diligentia transtulisse & propagauisse fertur. Quem postea solers imitata posteritas, Hispaniæ, & meridionali Galliæ, ceu per manus, paulatim communicauit. Theo- Arboris citri nomenclaturæ. Quis primꝰ citriam in Europa excoluerit.

phrasti ætate pomum istud nequaquã mandebatur, sed ne Plutarchi quidẽ autorũ memoria, vt Athenæus scriptũ reliquit. Parthorum proceres huius grana dũtaxat esculẽtis incoquere solebãt, cõmendandi halitus gratia. Quod plerique etiã ad folia detorquent, non minùs odorata quàm pomũ ipsum: ex quo vestiarijs scrinijs vtrunque perpetè inserebatur: quemadmodum indicãt Homerus & Neuius, vestes ob id, epitheto decẽti citrosas nuncupantes. Sed hæc, quæ extra medicum institutum nostrum esse videbũtur, ideo ad citriorum auxilia commodùm transeo. Qui de re medica & rustica scripserunt Aphri, Arabes, Græci et Latini, vno ore prędicãt omnes, citrium pomũ venenis inimicum esse, & hinc antidoti loco illis efficaciter opponi. Quod celebri historia sic Athenæus confirmat. Cùm princeps quidã Aegyptius maleficos nebulones duos cõdemnasset, vt suorum facinorum meritas pœnas luerent, eosque aspidibus, secundum Aegyptias leges, in prędam exponendos dixisset: ij fortè fortuna citrium in itinere comederunt, dum bestijs futurum pabulum ducerentur: quod caupona quædam, vicem eorum miserata illis obiecerat. Mox dum in theatrum descendissent, & à ferocissimis ac famelicis feris demorsi essent, nihil noxæ senserunt. Quam rẽ Præfectus summè admiratus, à satellitibus percontari cœpit, num antidotum aliquod pręsumpsissent. Respondentibus citrium, ex integra simplicitate donatum, eos in via tantùm mãducasse, postridie iussit vni præberi, alteri verò denegari, ac denuò in theatrũ trudi ad supplicium. Quo facto, qui comederat, demorsus nihil incommodi passus est: alter illato ictu, vndique liuidus factus, confe-

Halitus cõmẽdatio, & vestiũ odoramentum.

Pulcherrima historia probans citrium venenorum esse antidotum.

Miranda vis citriorum.

confestim interijt. Quæ res multis postea probata, factoq; frequenter periculo, tandẽ inuentum, confessumq; fuit, citrium omni exitiali veneno præsentissimum ac præstantissimum esse remedium, sumptumq;, venenatis ictibus resistere, donec concoctum fuerit. Si quis huic historiæ fidẽ non habet, veracem fidelemq; Theopompum Chium consulat: ab eo discet Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum multos veneno sustulisse, pluresq; necare voluisse, nisi excellentissima citrij vis à populo cognita, venenis restitisset. Quod nonnulli etiam rutæ adscribunt, quemadmodum in medica eius narratione diximus. Citria itaq; venenis efficaciter aduersantur: & maximè illorum semen tritum, & ex vino generoso haustum. Eandem rem præstabit etiam succus, nam per ventrem toxicum excludit: nec omitten dum est, quod cortex tetrum & fœdum oris hali tum emendat. Quam in rem Virgilianum testimonium huc proferre πάρεργον fortasse non erit. Venena. Semen & succus citriorum. Oris halitus.

Media (inquit) fert tristeis succos, tardumq; saporẽ
Fœlicis mali: quo non præsentius vllum Virgil. in Georgicis.
(Pocula si quando sæuæ infecêre nouercæ,
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Deinde subdit,

-animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis. Quomodo citrijs vtendum & vescendum.

Si cruda manduntur citria, non facilè coctioni obediunt, quin & crassum generant succum: ob id illis melle aut saccharo cõditis, vesci satiùs esse putant medici: quòd ita ventriculum excalfaciant ac roborent. Quam rem nõ animaduertens

nec obseruans hæc nostra ætas gulæ nimiùm dedita, ac voluptati plus æquo famulans, cruda citria in cibis parùm prudenter esitanda proferre solet. Vt vt fuerit, aduersus atrã bilẽ & morbos, quos illa longos ac mœstos excitat, egregiè opitulari nouimus. Succus flauã bilem reprimit, & pestis arcet contagia: vnde recentiores medici ad febres pestilentes serapijs è citrio cõcinnatis, fœliciter vtuntur. Semen scorpionũ ictibus tam potum, quàm appositum, mirificè prodest. Si integrum pomum quis in iure vel liquore alio coquat, expressisq́ interaneis succum sorbeat, suauissimum sibi conciliabit halitum. Si idem, vt sua fert natura, etiam integrum in aqua rosacea & saccharo tandiu coquatur, donec tabescens in ius resoluatur, immunem ab omni veneno & peste reddet eum qui manè iusculi, vel decocti talis, aut si mauis Electarij, vnum vel alterũ cochleare paruum hauserit. Res in pestilẽtibus contagijs mihi & fidis amicis meis fœlicissimo successu, sæpenumerò experta & ꝓbata. Verũenimuerò, q̃a Parisiensibus, & vrbibus quamplurimis rara admodũ sunt citria, in eorum locũ limonia, paruo errore, substituere licebit: quæ compitatim pro citrijs, proclamari ac venundari solent.

Melácholici morbi, flaua bilis, pestis, ictus venenati, & halitus.

Antidotus mira contra pestem & venena.

Aurantia arbor & Limonia, earumq́; fructus, & medica auxilia. AR. X.

DVo poma ista cum suis arboribus, climati huic nostro septentrionalis Galliæ vsqueadeò sunt infensa, vt nullis blanditijs, nullis officijs & artibus in eo habitare velint: etiam si mitioribus locis hospitia illis designentur, & omni cura sollicitè tractentur: tantus est patriæ & natalium

Aurantia & limonia septentrionibus inuisa.

talium amor. Sed missa longiore præfandi mora, ad rem veniamus, & duo poma, vna (si placet) arcula includamus. Aurantia cùm auri colore pelluceant, meritò nomẽ ab auro accepisse mihi videntur: ex quo aurea mala à Virgilio dicta fuisse, contẽdunt multi: licet id ad cotonea relatum malint pleriq;, sicuti in illorum historia scripsimus. Quod ad Limonia attinet, triplicem assignant illorum differentiam, quam elegantissimis Iouiniani Pontani versibus, ex horto Hesperidũ paucis depromemus. Sic itaq; Limonia distinguit,

-altera fœtu
Exiguo, succos gustu meditantur acerbos:
Altera sunt fructu maiore, & rorida succo
Vberiore: sed oblongo tamen vtraq; ductu.
Tertia prægrandi turgent ouata volemo,
Ac citrij referunt sinuosa ab imagine formam:
Sed gustu ingrato, quemq; ora offensa recusent.

Tres Limoniorm differentiæ.

His positis venio ad facultates et medica vtriusq; auxilia. Aurantiorũ tria obseruãtur genera, dulcia, acida, & ex his mista, vulgò acidodulcia nuncupata. Dulcia omnibus partibus excalfaciunt: aliorum succus refrigerat, magis, minus, librato cuiusq; aciditatis gustu & sapore. Quocirca febricitantibus ad sitim extinguendã optimè exhibentur acida. Cortex omnibus calidus & igneus est: quod gustatu deprehenditur, nam acer est & amarus: hinc contra lucernarum flammulas expressus ab eo succus, ignem facilè concipit: transitq; expeditè in vinum essentiæ suæ tenuitate per vitreum calicem, vel è longinquo iaculatus.

Aurantiorũ genera tria. Febris & sitis.

Pulchra & notatu digna.

Limonia citrijs & aurantijs omnibus gustu acidiora sunt, & ob id succo frigidiore ac sicciore

constat. Ex quibus serapium conficitur ad restinguendum bilis feruorem mirè efficax: necnon ad pestilentes febres, et eas quæ contagione serpunt. Sed illud non prætereundum, quòd

Bilis feruor, & febris pestilens.

Admotus foculo limon, sensimq́; recoctus
Instillante anima, ac tenuem conuersus in amnem,
Ora puellarum maculis lauat, & candorem
Inducit nitidis per colla argentea guttis.

Fucus muliebris, vitiligo, vari, febres acutæ & pestilentes, elephantiasis.

Hodie in calente balneo Mariæ vocato, vitreis organis elicitur aqua ex limoniorum succo: quæ præterquàm quod mulieribus summè expetitur ad faciem fuco expoliendam & erugendã, etiam vitiligines vbicunq; fuerint, ac varos, et totius corporis maculas emendat, etiam si ex elephantiasi essent. Eadẽ serapijs idoneis remista, acutis febribus & contagiosis fœliciter succurrit. Quod nos frequenter sumus experti. In gratiã virginum & muliercularũ quibus faciei candor et cutis decor summo solet esse studio, hîc nec grauabor, nec detrectabo docere præstãtissimum mangonium & fucum, quauis Regina dignum. Magnum limoniũ parte superiori aperitur ita, vt carnis & pulpæ interioris instar paruæ nucis educi possit. Tum demum cauitas saccharo rosaceo vel cãdo vocato, cum aliq̃t folijs auri impletur, suo operculo clauditur, calẽtibus cineribus exponitur, et dum ebullit remiscentur omnia, ac mox ab igne tolluntur. Vsus erit ex pãno lineo hisce intincto miscellaneis, & per faciem blandè circunducto, videbis eam Ioue dignam. Hîc finem facturus eram, nisi in mentem opportunè mihi venisset, quòd succo limoniorum bis aut ter colato, si integras margaritas lauabis & immerges, Solíque expo-

expones, in quinque aut ſex diebus ita illas colliquabis, vt mellis conſiſtantiam referát. Ex ea materia poteris formare quidquid tibi viſum fuerit & paucis diebus diues fieri. Autor Hieron. Cardanus, cui ingenteis debentur gratiæ, ſi vera ſunt quę tradit. Aliud eſt etiam admiratu dignũ, quod apud Leuinum Lemnium medicum doctiſs. ſcriptum & adnotatum legi, nimirum, limonijs tam acidum ſuccum ineſſe, & vſqueadeò exedentis naturæ, vt ſi ei per horas aliquot aureum numiſma inſeras, acciſo, imminutoq; pondere illud eximi deprehendes. Sed hæc quia extra limites medici noſtri inſtituti vagantur, miſſa libenter facimus: de illis alibi per occaſionem (ſi diuina annuerint) fusè & opportunè ſcripturi.

Duo ſummè admiranda & notanda

Punica arbor & eius fructus, cum medicis vtriuſque auxilijs. AR. XI.

ARboris iſtius pomum etiam ex illis eſt, quæ palpamus, guſtamus, videmus & admiramur, ſed parentes re vera ignoramus, & in hoc ſeptentrionali Galliæ tractu planè deſideramus. Granatũ dici contendunt nonnulli, à multitudine granorum & acinorum, quibus ſcatet. Alij, à Granata Hiſpaniæ (vbi plurimùm naſcitur) id nomenclaturæ adipiſci defendunt. Sed has, ſi placet, controuerſias ocioſis & opinioſis Grammaticulis exagitandas ac diſcutiẽdas relinquamus, & medica punicorum auxilia, ac facultates paucis explicemus. Dulcia punica ſtomacho inutilia eſſe tradit Plinius, quòd inflationes pariant, ac dentes & gingiuas lædant. Quæ verò his ſapore proxima ſunt (vinoſa nũcupata) aluũ ſiſtunt, & ventriculo (ſi pauca ſumas) valdè proſunt.

Mali granati ratio & nomenclatura.

Dulcia punica.

Aluus & ventriculus.

ſunt. Hæc danda in febre nonnulli negant, quòd nec ſucco, nec acinorum carne vtilia ſint: vnde vomentibus ac bilem reijcientibns non probantur. Hæc Plinius: cui non ſubſcribit Dioſcorides, tradens malum omne punicum boni eſſe ſucci, & ventriculo vtile, ſed perexiguum tamen ſufficere alimentum. Dulce vt ſtomacho vtilius habetur, ita in illo aliquantulum gignit calorem ac inflationes parit: ex quo in febribus abdicatur. Acidum aſtringit, ac æſtuanti ſtomacho auxiliatur, & vrinam ciet: verùm ora gingiuaſque lædit. Cortex, malicorium vulgò dictus (quòd coria maximè perficiat, vel quòd ſit ipſi pomo velut coriaceum tegumentum) ſi in aceto mixta galla coquatur, mobiles dentes ſtabilire fertur. Et ſi integrum punicum ollâ nouâ, addito operculo, in clibano torrefactum fuerit, deinde contritum, & ex vino potum, aluū ſiſtet, ac eius tormina diſcutiet. Quod etiam præſtabit integri & triti punici decoctio, hauſta, vel clyſtere iniecta. Flores (quos balauſtia nuncupant) fœminarum menſes potu retinent, oris vlcera ſanant: adhæc tonſillas, vuulam, excreationes ſanguinis, necnon ventris ac ſtomachi ſolutiones, genitaliumque vlcera, & alia quacunque in parte manantia emendant & adiuuant. Tuſorum farina pleroſq; dyſentericos à morte liberauit. Nuclei acidorum ſiccati, puluerati, & obſonijs reſperſi, vel incocti, fluentem aluum & ſtomachum in vomitiones effuſum retinent, bibunturq; ſalubriter ſanguinem excreantibus, ac valde vtiles habentur ad dyſentericorum deſeſſus, necnon vliginoſas & impuras vuluarum defluxiones, quas albos menſes dicunt. Dioſcor. tradit eum, qui tres quàm minimos

Vrina, dentes, aluus & tormina.

Menſes, oris vlcera, tonſillę, vuula, ſanguis, venter, ſtomachus, dyſenteria & vomitus.

Fluor alui, vomitus, ſanguis, vulua.

mos punicorum cytinos deuorauerit, nullam illo anno lippitudinem passurum. Fieri solet ex punicis seu granatis medicatum vinum, cuius artificium tale habeto ex nostris vinorum secretis depromptum. Acini maturi ex suis menbranis diligenter exclusi, prælo committuntur, exprimuntur, vinum faccis ad id accommodatis percolatur, vasculis idoneis, quousque fæx residat, seponitur, & clarum custoditur, oleo desuper affuso ne corrumpatur aut acescat. Sũt qui absque oleo illud in cadis asseruent: sed per æstatem facilè vapescit. Modos alios docebimus alibi, Deo fauente, cum facultatibus & auxiliis eiusdem vini. Quod postremum erit, vbi monuerimus corticem punici mali, ferrum in chalybem mutare, quemadmodum adnotauit Hieronym. Cardanus: qui modum conticuit, quem proprio loco alias exprimemus. Sed hęc quia fabrum ferrarium potius olent, quàm medicum hortulanũ: idcirco verbum nõ amplius addo, vt medici medica tractent, & fabrilia fabri. Transeo itaque à punicis ad ficus. Sed ô me obliuiosum: qui singulare arcanum, mihi & amicis multis fœlici successu expertum, omittebam. Quodnam illud est, inquies? Si punicum dulce cum suo corio & cortice tusum ac læuigatum percolaueris, & sex partibus succi, vnam mellis adieceris, omniaq; ad spissitudinem coxeris, habebis eximium auxilium aduersus inflammationes oris, columellę & gutturis, etiam si præsentem suffocationem minitarentur: necnon ad narium vlcera, polypũ, oris fœtorem, & alia quamplurima, quæ vt mihi longa essent recensere, ita facilia tibi erunt excogitare.

Lippitudo & vuluarum defluxio.

Vinum ex malis punicis.

Quomodo ferrũ in chalybem mutetur.

Inflammatio oris, columellæ, gutturis, polypus, fœtor oris & vlcera narium.

Fi-

Ficus & eius fructus, cum medicis auxilijs vtriusque. AR. XII.

Mira Catonis solertia ad suadendũ Carthaginis excidium.

POmum istius arboris, priscis temporibus, nedum nostris, notissimum fuisse, testatur memorabile Catonis ingenium, & indicibilis prudentia. Nam dum perniciali odio Carthaginis flagraret ille, & nepotum securitatis anxius esset, clamaretq; omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodã die in curiam, præcocẽ ex ea prouincia ficum. Quem (vt scribit Plinius) Patribus ostendens: Interrogo vos, inquit, quãdo hoc pomũ demptũ putetis ex sua arbore? Cùm inter omnes recens esse constaret: Atqui, respondit, tertium ante diem scitote decerptum Carthagine: tam prope à muris habemus hostẽ: statimq; sumptum est Punicum tertiũ bellum, quo Carthago deleta est, & sequenti anno raptus Cato. Qui vnius fici argumento, res mira, tantam vrbem, & de terrarum orbe vnam per cxx. annos Romanę gloriæ æmulam, funditùs euertendã suasit, & tandẽ impetrauit. Sed hæc nihil ad medica fici præsidia quæ nunc demũ aggredior, vbi prius monuero.

Ficus panis & obsonij loco fuisse.

quòd tam recentes, quàm passæ ficus, olim panis ac obsonij vicẽ habuerunt: eóque cibo prisci Athletæ vires aluerunt, priusquã Pythagoras eos ad carnes transtulisset. Sale inueteratis etiam casei loco vesci excogitatum fuit, Plinio authore. Meliores & salubriores habentur quæ Solis vigorẽ expertæ, per propriam naturam ematuruerunt.

Ficus passæ & recentes.

Quæ plurimo turgent lacte, aut aquoso madent succo, & si palato ac stomacho gratiores vidẽtur grauiores nihilominus, ponderosioresq; censentur: ex quo faciliùs descendunt, & aluum ad excretionem proritant, perinde atq; recentes nuces.

Deme-

Demetrius Sceptius admonet, studiosos vocis de bereficis abstinere: motus exemplo Egesianactis Alexandrini, qui optimus tragœdiarum actor euasit, quòd ficis annos octodecim abstinuisset. Coctæ cum hyssopo corpus expurgãt, tussim veterem abolent, ac longa pulmonũ vitia emendãt. Cũ ruta colico dolori & torminibus sũmmè pro sunt, sumpto ore decocto, vel clysteribus opportunè iniecto. Duritias in corpore discutiunt, tritæ & appositæ, per se, vel cũ oleo liliorũ, aut alio quopiam idoneo: quo etiam modo parotidas & furunculos emolliunt. In vino cum absinthio ac farina coctæ & subactæ, hydropicis salubriter illinuntur, & cum cera crematæ pernionibus auxiliantur. Addo quod podagris cum farina fœnigræci & aceto efficaciter admouentur, ac dentiũ cruciatibus, recẽti succo in lana aut gausapio excepto & apposito, perpulchre succurrũt. Qui succus etiam verrucas, carne circumlita, tollit: præsertim myrmecias nuncupatas, quæ quendã pungentis formicæ sensum repræsentant. Aliæ folijs ficulneis contactæ aboleri traduntur, si postea folia sepeliantur. Ficus in vino coctæ, tritæ & ano appositæ, eius apostemata, condylomata ac fissuras curant. Et si cum nucibus, pipere aut amaris amygdalis ieiuno stomacho edantur, obstructiones hepatis soluunt, ac ventriculũ roborãt & detergẽt. Eubolus medicus meridiano esu ficus abdicauit, morbum inde concipi testatus, quòd statim febris accelerans inuadat, quę vomitũ flauæ bilis solet elicere. Quare Aristophanes cùm æstate ægrotantem quendã conspexisset, meridiando ficubus vsum flagijt. Quod de musteis & adhuc humentibus intelligendum arbitror: aut, si maius,

Ficus voci inimicæ.

Tussis, pulmo, colicus dolor, tormina, duritiæ, Parotides & furunculi, Hydrops, pernio, podagra, dentes, & verrucæ.

Ani apostemata, condylomata, & hepatis obstructio.

Ficus recentes autumno insalubres. uis, de recentibus & lacteis, quæ etiam sudores ac papulas mouent, & ob id autumno insalubres putantur. Fit è cinere ficus lixiuia, crematis ramorum fruticibus, quę eò melior est, quo sæpius iteratur & veterascit: Hæc, vt tradit Dioscor. ulceribus quæ gangrænæ vitio periclitantur multùm prodest, necnon ijs consumẽdis, quæ nimiùm excrescunt: vsus erit ex spongia eo liquore imbuta, & subinde apposita. Salubriter eâdem etiam perlinuntur grandes & cuniculosi sinus: nam glutinat, carne replet, astringit, absterget, ac oras hiantes committit, nõ secus atque emplastra quæ cruentis vulneribus admouentur. Dissoluit præterea sanguinem in ventriculo coagulatum, si cum pauco oleo bibatur drachma vna. Sed pulchrum erit Galenum audire de ficuum facultatibus hũc in modum differentem. Tametsi ficus minus gignant praui succi, quàm cæteri omnes fructus, nõ modò fugaces, sed etiam autumnales, non tamen vitium prorsus effugere potuerunt. Et cùm autũnales fructus omnes exiguum corpori alimentũ præbeant, minimè ficubus id vsu venit. Carnem tamen non compactam, neque firmam generant, ceu panis & suilla caro, sed turgidulam, subinanẽ & fungosam, veluti fabæ. Cæterum, extergendi facultate pollent, cuius gratia nephritici post illarum vsum arenulas multas excernunt. Caricæ, seu ficus passæ, multiplicem vtilitatem habent: si quis tamẽ largius esitauerit, ab eis offendetur: nã sanguinem non admodum probũ gignũt, quapropter pediculorum quoque agmen eas comitatur. Fit ex ficubus, ruta & nucibus, celebris illa Mithridatis antidotus cõtra venena & pestilentem auram, de qua superius in ruta. Hîc mihi omitendum

Lixiuia ficus ad gangrænas & sinus cuniculosos.

Sanguis coagulatus.

Quã gignant carnẽ ficus.

Nephritici, venena & pestis.

dum non eſt, quòd ſi bubulis carnibus ficulnei remiſceantur cauliculi, efficient vt magno lignorum compendio celeriter illæ percoquantur, Plinio autore: quod multi etiam caprifico tribuũt: quam Columella tradit decoctam, & alitibus atque gallinaceis cum cibo exhibitã, ficorum faſtidium illis creare, quorum alioquin ſunt appetentiſſimi. Tradit præterea Africanus ex Græcis geoponicis vnus, & idem celebris, lac igni tepefactũ, & fici ramulo motum, ſtatim coagulari & cõcreſcere. Quod etiam præſtabitur ſucco in lac miſſo, qui ex vulnerato fici cortice ſtillare ſolet: aut lacte ficuũ ſatiuarum, ſed non ſylueſtrium. Penè mihi excidebat, quòd fici crematę, perniones ac porrigines cum cerato emendant. Et lac ficus ictui ſcorpionum illitũ, ſalutare eſt. Hîc finem faciebã cum duo prodigioſa naturæ miracula mihi in mentem venerunt, nequaquam tacenda, aut diſſimulanda: & ſi parum ad medicas ficuum facultates attinere videantur. Vnum eſt, Tauros quamlibet indomitos & feroces cicurari, & immobiles acquieſcere, ſi ficulneæ arbori alligẽtur. Quod etiam caprifico illorum collis circundatæ aſcripſiſſe mihi videtur Plinius. Alterum eſt, Alitũ & cęterorum animalium carnes, perquam celeriter tenereſcere & fragiles effici, quæ de ficu pependerint. Rationem in Sympoſiacis reddidit Plutarchus. Cùm inter obſonia Ariſtionis, inquit, coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum ac penè friabilem obtuliſſet, tam citam teneritudinem fico referebat Ariſtion, contendens iugulatas aues, etiam prædnras, teneritatem induere, ſi penſiles fico adhæſerint. Nec temerè, nam auram halituoſam & digerentem

Pulcherrima & notatu digna.

Perniones, porrigines, & ictus ſcorpionum.

Taurorum cicuratio.

Quomodo carnes citò ac facilè tenereſcant.

tem expirat ficus, qua carnes concoquuntur & tenerescunt. Idem etiam cōtinget: vt id obiter admoneam, si tritici aceruo obruantur, aut penitus demergātur. At de ficu satis. Sed, ô me iterū & tertio obliuiosum: nam silentio ferè obruebā, quod ille idem Plutarchus celatum noluit. Quid illud? Equos & asinos linqui animo, qui ficos dorsuarij comportarint. Verumenimuero maiore miraculo dignū est remediū, quo & ipsis, & hominibus quoque succurritur. Exanimata penè iumenta, & propemodum extinctos viriū deliquio homines oblatus panis reuocat: nam si vel pauxillum vorauerint, protinus à cibo sese recolligunt, roborātur, ac pristinū iter iucundè persequuntur.

Panis mira energia in virium deliquio.

Olea & eius fructus, cum medicis auxilis vtriusque AR. XIII.

GAllicum vulgus Oleam *Oliuerum* nuncupare solet: quam pauci ignorant equitum turmas olim coronauisse, & minoribus triumphis ouantes illustrauisse. Huius rami gestati, indiciū pacis fuerunt: ex quo à poëtis iusto epitheto pacifera dicitur. Sed, ô dolor: nobis non tam licet esse beatis, vt hanc arborē verè aureā, septentrionalibus hortis & agris nostris videre possimus, & ex ea fructus vberes percipere: inscrutabili Dei Opt. Max. consilio, qui omnibus omnia nō dat, sed quod bonum atque vtile nouit. Neque tamen ob id laborem detrectabo, vt quæ de illa & eius baccis ac oleo scitu digna à medicis cùm priscis, tum recentioribus cognoui, & meo multorumq; experimēto didici, cādidè ac ingenuè (vt omnia) in medium proferā. Venio itaque à verbis, quod dicunt, ad rem. Oleæ folia præmāsa, & vlceribus admo-

Olea quondam paucis nuntia.

admota, summum adferunt auxilium. Decoctū eorundem, cum melle, sanguinis profluuia cohibet, tam sumptum, quàm appositum: crustas insuper emarginat, & cicatrices delet. Succus ab his expressus carbunculantibus circa oculos vlceribus, ac pustulis, procidentique pupillæ, & antiquatis delachrymationibus mirè auxiliatur. Exprimitur autem tusis folijs, & affuso vino albo cum aqua cœlesti. Qui, si visum fuerit, in pastillos & offulas ad Solē resiccari poterit, & in vsum opportunum seruari. Vuluæ admotus in vellere, pessarij modo vel aliter, menses immodicè fluentes sistit: estque ignibus sacris, & vlceribus quæ serpunt summè vtilis: necnon auribus, siue vlceratæ fuerint, siue purulentæ. Liquor ex accenso recenti ligno stillans, lichenas, furfures, psoras, & manantia vlcera curat. Cortex è radice quamtenerrimè derasus, crebro gustatu & illinctu ex melle rosaceo, sanguinem excreantibus, & suppurata tussientibus, miraculo quodam medetur: eiusdemque cinis cum axungia tumores discutit, & fistulis vitia detrahit. Hæc de arbore ex Dioscoride, Plinio & Galeno: nunc de fructu paucis dicendum. Oliua flaua & recens, stomacho vtilis censetur, sed ventri difficilis: nigra & matura corruptioni est opportuna, & proinde cacostomacha. Recens cibi modo per se manducata antè quàm condiatur, præclarum habet vsum: nam arenosæ vrinæ opitulatur, dentibusque attritis, aut conuulsis summè prodest. Olearum succus è muria, collutione gingiuas comprimit, & dentes labascentes, infirmos, ac commotos stabilit. Nucleorum pulpa cum axūgia & farina, scabris vnguibus commodissimè illinitur. Quod ad oli-

Vlcera sanguinis profluuia, crustæ, cicatrices, oculi & delachymationes.

Mēses, ignis sacer, vlcera, aures, lichenes, furfures psora.

Sanguinis excreatio, suppurati, tumores & fistulæ.

Vrina arenosa, dentes attriti, gingiuæ & scabri vngues.

uarium liquoré attinet, vulgò *Oleum & Oliuum* nuncupatum (quo nullus à vino preciosior succus esse solet in vniuersa rerum natura) hæc à me in præsentiarum accipies. Receptum confessumque est apud omnes rei rusticæ & medicæ doctores, Pœnos, Arabes, Græcos & Latinos, oliuariũ oleum recens, & minimè vitiatum, ad corporis & virium reparationem, conseruationemque, foris adhibitum valde conferre. Quod celebri Pollionis Romuli exemplo docetur. Hunc enim centesimum iam annum excedentem, vt autor est Plinius, cum D. Augustus hospes interrogasset quanam ratione vigorem illũ animi, corporisq; maximè custodisset: Intus (respondit) mulso, & foris oleo. Id quòd à Democrito potuit didicisse vt Diophanes in suis tradit Græcis Georgicis. Nã cum rogatus esset, quonã modo homines viuere possent inoffensa valetudine, & animi corporisq; statum incolumem ac vegetum diu seruare: Si externa corporis (inquit) oleo, interna verò melle præmuniant. Valet itaque oliuum ad corporis & virium conseruationem, necnõ cõtra algores. Quod cùm intelligeret magnanimus ille & incomparabilis Annibal (Romanorũ terror quondam nuncupatus) in Alpium transitu, militum suorum corpora, aduersus niuales iniurias & rigentem aërem, oleo præmunienda imperauit. Quod vnum à frigoribus homines vindicare, & gerẽdis rebus corpora habiliora reddere prudẽter nouerat. Si introrsum recipiatur, de recenti loquor, ventrem durum emolliet, ac venena hebetabit, & ea vomitionibus statim excludet. Si cum succo rutæ calidum hauriatur, tormina illico sedabit: & ileosis vtilissimè infundetur, quos

Vires recẽtis olei oliuarij.

Historiæ pulchræ & notatu dignę.

Oleum aduersus frigora præstantiss. esse.

Venter, venena, vomitiones, tormina, ileosi & facies.

tenui-

tenuioris intestini morbus tentare solet. Faciem expurgat, & bubus per nares infusum, donec ructent, inflationem mitigat. Reliqua oliuarij olei præsidia (ne sim lôgior) omitto, vt ad eius amurcam veniã: cuius vsus olim rusticis fuit frequẽs. Nihil autem aliud est amurca, quàm expressæ oliuæ sanies, aut sidens eius retrimentum: quod super omnia miris viribus esse dixit M. Cato: ex quibus hîc nonnullas docebimus, maximè quæ ad hominum vel animalium vsum pertinebunt. Boues qui cibum fastidiunt, cupidè illum appetent, si eorum pabulum amurca respergas: ita enim curati, corpore pulcherrime valebunt: & si quis aderit morbus, abigetur. Si eâdem quadrupedes & detonsas oues, cum aqua vbi lupinus deferbuerit illinantur, sic vt biduum vel triduum desudent, deinde aqua salsa lauentur, neque scabræ fient, neque ricini erunt molesti. Hæc rustica nobis fusius alibi explicanda, vlterius non procedent. Tria supersunt œconomica veriùs quã medica. Primum est, Condita vestimenta in armarijs quæ fundum habuerint amurca illitum & resiccatum, nullo modo à tineis contingentur ac derodentur. Secundum, Lignea supellex quam amurca deterseris & expolieueris, coloris gratiam ac splendoris elegantiam miram contrahet. Tertium, Ligna eadem amurca macerata, aut delibuta, nullo fumi tædio exardescent. Hæc de olea & pomiferis arboribus satis erunt, vt nuciferis suum demus locum.

Quid amurca, & quibus prosit.

Tria pulchra & notatu summè dihna.

HORTI MEDICI CAMPVS OCTAVVS, ARBORES NVCIferas & earundem fructus, areolis quinque distinguens.

Iuglans & eius nux, cum vtriusque medicis auxilijs. AR. I.

Iuglandis nomenclatura & eius ratio.

IVglandem prisci Grammatici idem esse voluerunt, ac si diceres Iouis glandem, interlisis literis. Quo nomine, non procul à primo mundi æuo, ita appellatam fuisse nucem plures tradunt. Quippe cum homines diu glandibus victitassent inuenta tandem arbore quæ nuces ferebat, degũstato nucleorum tam suaui sapore, illico nuces, Iouis glandes, ob præstantiam & excellentiam nuncupauerunt. Grammatici posteriores à nocendo nucem dixerunt: quòd graui foliorum odore in cerebrum penetrante, & vmbræ suæ prauitate, ijs noceat, qui sub eius arbore dormierint aut diu steterint. Nulla est arborum, post cerasum, quæ vel faciliùs, vel meliùs proueniat, quã nux, quòd de se apud Ouidium, sic querula testatur,

Sponte mea facilis contempto nascor in agro:
Parsque loci qua sto, publica penè via est.

Nucis prouentus facilis.

Gallis Noïerus vulgo dici solet: cuius vmbra satis omnibus, Plinio teste, nouerca veriùs quàm nutrix habetur nam quæcunq; attingit, haud dubiè venenat, & sua lædit præsentia: ob id in hortis, ac agris, ceu inutilis & noxia extremis partibus plantari ac locari solet: quemadmodũ apud eun-

eundem Nasonem, illa de se testimonium hunc in modum perhibet.

– quoniam sata lædere credor,
Me quoq; in extremo margine fundus habet.

Sed omissa arbore veniamus (si placet) ad eius fructum, quem duplici munimento & inuolucro tegi, nullus est qui non videat: herbaceo primum cortice, mox ligneo putamine, compactili carinarũ loculo, & tenui tunica intus armato: quot modis fœtus in parente solet contineri, sicuti ingeniosè scribit Plinius. Quæ causa nuptijs religiosas fecit nuces, olim à Regibus è Perside translatas, & ob id basilicas ac Persicas nominatas. Heraclides Tarentinus petere solebat, prima ne men sa an summa, nuces offerri debeat. Sanè, si postremo cibo (vti mos est) exhibeantur, siccæ præsertim, bibendi desiderium proritabunt, potusque auiditatem molientur: quo ferculis insinuatæ, distento iamiam ventriculo & refertis interraneis, deturbante impetu & grauitate, flatus ac inflationes facilè excitabunt, & cibos corruptionis labe vitiabunt: propterea quod illis ob oleaginosam substantiam quædam insita est enatandi facultas, quæ coctioni parum cedit: vnde cruditates oriuntur, & alui intempestiuæ deiectiones. Diphilus Siphnius hinc capitis dolores ciere, & reliquis cibis extare dixit. Cui subscribit Diocles: additque sagina sua strigosos ad crassitiem reducere, modò ab illorum stomacho probè vincantur & coquantur. Vt vt fuerit, recentes parcè & opportunè sumptæ, stomacho iucundiores esse solent: siccæ verò nocentiores, biliosæ, concoctu difficiles, & capitis dolorem (si profusè assumantur) conciliantes. Sunt præterea tus-

Nucis ingeniosa descriptio, & cur nuptijs dicatæ sint.

An primo, postremóue cibo sumendæ sint nuces.

Nuces coctu difficiles & capiti inimicæ.

Recentium nucũ & siccarum natura, necnon torrefactarũ

 sien-

ſientibus inimicę, ſed vomiturientibus ieiunis aptæ. Torrefactæ, minus negocium corpori facesſunt: quo modo Mneſitheus Athenienſis edendas præcipiebat, depaſta ab igni & calore, ſuperflua earum oleacitate. Cum cepa, ſale & melle tritæ, canum, hominumque ac venenatorũ morſui auxiliantur: & cum exiguo melle ac ruta, mãmarum doloribus, inflationibus, ac luxatis partibus optimè apponuntur: & cũ ſuo cortice crematæ ac vmbilico admotæ, tormina efficaciter diſcutiunt. Quæ peruete res ſunt, gangrænis, carbunculis & ſuggillatis perbellè medentur. Nucleorum combuſtorum cinis ex vino ſubter inditus, fœminarum fluentes plus æquo purgationes cohibet. Iidem nuclei commanſi, & ex ore protinus impoſiti, areas capitis, pilo celeriter replẽt: modò id ſæpius iteretur. In teineſmo ad extrahendam pituitam magna eduntur efficacia. Adde quod veſtigia verberatorum, aut percuſſorum, vibiceſque flagellatorum facilè obliterabũtur, ſi ſucco corticis recẽtium nucum illinentur. Qui ſi ex pauco melle coctus fuerit, vitijs oris vtiliſſimum adferet remedium, necnon ad vehementes tonſillarum inflammationes, ac ſuffocatus. Lixiuium ex corticibus, capillum denigrat & infuſcat. Sed celebratiſſimum illud Mithridatis alexipharmacum & diateſſaron, de quo in ruta ſcripſimus, fuſius ex Plinio rurſum recitare iuuabit. In ſanctuarijs (inquit) Mithridatis maximi Regis deuicti, Cneus Pompeius inuenit in peculiari commentario manu ipſius deſcripto, compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis, ficis totidem, & rutæ folijs viginti ſimul tritis, addito ſalis grano: quam antidotum qui ieiunus

Morſus, mãmæ, luxata, tormina, gãgrænæ, carbunculi & ſuggillata.

Fœminarum purgationes, alopecia & teineſmus, verberati, percuſſi, flagellati, tonſillæ, ſuffocatio, capillus.

ſum-

ſumpſerit, nullum venenum eo die formidabit. Plinio ſubſcribunt Q. Sereni, poëtæ & medici antiquiſſimi, verſus, quos eã in rem eruditè, vt omnia, ad hunc cecinit modum:

Antidotus præſtans, multis Mithridatica fertur
Conſociata modis, quam Magnus ſcrinia Regis
Dum raperet victor, vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit:
Bis denum rutæ folium, ſalis & breue granum,
Iuglandeſque duas, terno cum corpore ficus:
Hæc oriente die, parco conſperſa Lyæo,
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

Mirabilis & præſtantiſſima Mithridatis antidotus contra venena.

Prodeſt eadem antidotos mirabili ſucceſſu, aduerſus graſſantis *peſtis contagia, vt teſtes mihi ſunt multi cùm noti, tum ignoti, qui præſtantiſſimo hocce alexipharmaco, per magnas & deploratas peſtilentias, me admonẽte & præſcribente, è medijs manibus tam ſæui & metuendi hoſtis erepti fuerunt. Hoc loco non omittam, quod virides iuglandes, ſub finem Iunij, antequam putamina obdureſcant, ſaccharo aut melle conditæ & aſſeruatæ, quo poſtea dicemus modo, ſtomacho vtiles, ac ori perquam gratæ habẽtur. Quin & ex ijs ſtillatitia fit aqua ad multa ſalutaris, præſertim ad abigendas tertianas febres. Gargilius Martialis in libris κηπουρικῶν, ſiue hortenſiũ, quos illi Virgilianus adſcribit Seruius, aſſerit ſe expertũ, quod nuces poſt annũ virides inueniẽtur, ſi liberę putaminibus ſuis melle demergãtur additq; mel illud ita medicatũ fieri, vt ex eo cõcinnata potio faucibus & arterijs medeatur. Sed hîc pſtantiſſimam condituram nucũ nequaquã tacebo, quã die vna hoc modo abſolues. Tenerę nucis cortex

Aduerſus peſtis contagia pręſtãs alexipharmacon.

Mel nucatũ, faucibus & arterijs medicabile.

putamenue antequā lignefcāt cultro illico deglubuntur teſta albida & teneriuſcula tenus: è veſtigióque ne nigreſcant in puram aquam proijciuntur & vſq; dum moleſcāt coquuntur, cinamomo & cariophyllis traiecta: mox ſaccharo in ſyrupum perfectè cocto bulliunt, tribus, quatuorue ebullitionibus: tumq; quò ſaccharum ebibant, triduo aut quatriduo mihi ſinuntur. Et quia ſaccharum recrudeſcit propter humorem quem imbiberat, illud idem ſaccharum per ſe denuo coquitur, & ſic bis, terue repetitur. Hæc Petrus Pena Anglorū medicus eruditus æquè ac eloquens. Quod reliquum eſt, duo à fidis amicis mihi nunciata, & illorum crebris experimentis confirmata, priſcorumq; libris deſcripta hîc prætermiſſa, & tibi denegata non patiar. Vnum eſt, Si proba nux vetus diligenter teratur, & horis aliquot demorſę parti à rapido cane eodem die ſuperponatur, poſteà tollatur, & famelicę gallinę, vel gallo obijciatur: ſi vorauerit & non moriatur, ſignum erit canem qui momordit, rabidum non fuiſſe: ſi verò iacturam vitæ patiatur, ſignificabit haud dubiè, canē rabie actum fuiſſe. Quare, poſt tres dies, quod ſummum eſt, ad citam & exactam curationem properādum erit: alioquin de incurabili ὑδροφοβίᾳ timendum erit. Alterum tibi communicandum tale eſt, Rancida nux ſuggillata efficaciſſimè delet, ſi flamma leniter exuratur, aut cadenti ferro ita comprimatur, vt oleum reddat ad id præſtantiſſimum. Quid vis amplius? Dum hæc de nuce ſcribo, & pagellas meas in quibus legendo ſemper aliquid adnotare ſum ſolitus diligenter excutio, fortè fortuna incido in antidotum Mithridatis è nuce, cuius paulò antè facta fuit mentio:

Signa morſi à cane rapido.

Suggillata, gangrænæ. ægylops & crabunculus

tio: sed quam Rases medicus Arabs fertur emendasse, & ad Almanforem Sarracenorum Regem misisse. Huius itaque germanam descriptionem sic habeto. Accipe nucum veterascentium, & à putaminibus ac interaneis purgatarum, partem vnam: salis & foliorum rutæ, vtrorumque sextam partẽ vnius: ficuum in aceto aut vino maceratarum, quantum ad prædictorum commistionem sufficit: accuratè tritis & confusis omnibus, fiat antidotus: cuius vsus per se esto ad magnitudinem vernaculæ auellanæ, superepoto vini albi momento, si videtur. Dici non potest quanta sit alexipharmaci huius efficacia, non dicam contra venena, sed etiam contra pestis nocentissima quæuis contagia, à quibus omnium seruator nos seruare dignetur.

Mithridatis antidotus contra venena, ex Rase ad Regem Sarracenorum.

Amygdalus & eius fructus, cum medicis vtriusque auxilijs. AR. II.

ARbor Amygdali tã est nota apud omnes, vt nihil notius esse posit: cuius ea fertur esse natura, vt in senio fœcundior sit, quàm in iuuenta, & sola minùs ferax habeatur, quàm sociata. Nuculas eius, amygdalas nuncupatas, gemino (vt iuglandes) operimento tegi nullus est qui non videat: puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis multos scarificatus admittentis, & in rimulas varias dehiscentis, cui solidus subest nucleus, in quibusdam dulcis ac iucundi gustus, in alijs verò amari & ingrati: sed qui ebrietatem arceat, Plutarcho autore, cuius hæc sunt verba, Fuit apud Drusum Tiberii Cæsaris filium, medicus quidã amaras amygdalas comessari solitus, qui omnes bibendi certamine prouocabat, nemi-

Amygdalarum descriptio & pictura elegãs.

Amaras Amygdalas

ebrietatem arcere, & quomodo id fiat.

niq; in omni palęstra cedebat. Is tandem deprehensus est, antè quàm biberet, quinas senasue comesse, quò minùs temulentia tentaretur. Porrò, cùm deuorare vetuissent compotores eius bibuli, ne pauxillū quidem in huiusmodi certamine resistebat. Plutarcho subscribit Athenæus, causam amaritudini tribuens, quæ reficcat & humiditatem depascit, nec finit venas impleri: quarum distētione & perturbatu, temulentiam contrahi volunt, effluuijs calidis, & fumosis nebulis obsessa mentis arce. Huius rei argumentum euidens esse potest, quòd vulpes amarorum pastu, atq; adeò amygdalarum (vt idem refert Plutarchus) certò moriantur, si non contingat è vicino aquam lambere, interno humore affatim ab his exucto. Quod & Dioscorides & Plinius etiam testatum reliquerunt. Mnesitheus Atheniensis eo in libro quem alimentis dicauit, omnem cuiusq; generis nucem, quæ ignem experta non fuerit, cibis abdicandam præcipit, exceptis recentibus amygdalis. Sed aliàs torrefieri, aliàs verò incoqui iubet, vt ignis illarum pinguetudinem absorbeat & ebibat. Vitijs pulmonū & renum ex aqua potæ succurrūt, & illinctu cum resina terebinthina calculosis medētur, ac difficili vrinæ in passo tritæ auxiliātur. Gummi ex arbore stillans, spissandi viribus pollet, ac cruētis excreationibus opitulatur: adhæc summæ cutis impetigines ex aceto illitū rapit, & funditùs abolet. Amaræ amygdalæ excorticatæ, tritæ, & linteolo inclusæ, si in muliebre pudendū mittantur, vterū à corruptis humoribus potenter vindicant, & repurgant. Si in vino terātur, & eo caput lauetur, illius furfures amoliuntur. Si integræ vrantur, & acri aceto mace-

Amaras amygdalas vulpibus lethales esse.

Pulmo, renes, calculus.

Vterus, furfures, alopecia, ophiasis, vari,

macerentur, postea contundãtur & capiti illinan- tur, alopeciam & ophiasim, ex Galeni sententia, curant. Si aceto infundantur, terantur, in pastil- los cogantur, & in vmbra siccentur, summè pro- derunt ad varos delendos, & obliterãdas pustu- las paruas in facie, quas Græci ἴονθοι nuncupant. Quod fiet, si quoties vsus postulauerit, aceto dis- soluantur, illinantur, & facta resiccatione, cum sapone abstergantur. Proderit etiã res ea ad pru- ritus, scabiosas impetigines, et pręrumidas faciei dispositiones, quæ sunt veluti prælудia ad ele- phantiasim. Sunt olea ex vtrisque amygdalis ex- pressa, quarum facultates satius duxi omittere, quàm paucis describere, suum locum alibi per occasionem illis daturus. ionthi, pru- ritus & im- petigo.

Pinus & eius fructus, cum medicis auxi- lijs vtriusque. AR. III.

SIcuti Pineas nuces Gręci, vt testatur Galenus conos ac strobilos appellarũt, ita earum nu- cleos Hippocrates coccalos nuncupauit: vnde facta fuit alticoccali nomenclatura, vt in cinara, seu altili carduo superiùs admonuimus. Nuces istæ in sua arbore altissimi à terra suspensæ, intus exiles nucleos, lacunatis toris & ferruginea tuni- ca vestitos cõtegunt: qui nisi purgati fuerint, du- rare non possunt. Contendunt tamen aliqui illos cum suis testis in vasis fictilibus nouis, terra op- pletis cõsepultos, rectè custodiri posse. Arbor iu- glandi contrariam habet naturam, nam prodesse creditur omnibus quæ sub ea feruntur. Nuclei & si ægrè concoquantur, nihilominus corpus per- bellè alunt, nisi humorem crassum gignerent. Si- tim sedant, stomachi acrimoniam, rosionésque leni- Nucis pineæ descriptio pulcherri- ma. Sitis, stoma- chus, vires,

renes, vesica, fauces, bilis, tussis & vrina. leniunt, virium infirmitatem roborant, & renibus ac vesicæ vtiles habentur. Fauces tamen videntur exasperare, & tussim irritare, licet bilem expellăt, ex aqua, vino passo, vel balanorũ decocto poti. Contra vehementes stomachi rosiones, ijs miscētur cucumeris semina, & portulacæ succus: necnon ad vesicæ & renum vlcera, quoniam vrinam cient, ac eius acrimoniam hebetant. Humores qui putrendo coierunt in stomacho facilè

Tabes & tussis. retundunt: & si recentes ex arbore, in passo conterantur, ad tabem & tussim veterem vtiliter coquũtur, vt liquor per singulos dies bibatur. Hinc nimirum tradiderunt autores grauissimi, pineas

Pulchra & notatu digna. syluas quæ picis ac resinæ gratia radũtur, tabidis vtilissimas esse: & ijs qui longa valetudine vires non recolligunt: adeò vt illum cœli aërem plus quàm nauigationem Aegyptiam, aut lactis cuiusuis potionem medicatam, conferre dicant. Sed de nuce pinea & eius arbore paucula hæc satis erunt: nam rara quoque in nostris septentrionalis Galliæ hortis spectatur.

Corylus & Auellana, eius fructus, cum medicis vtriusque auxilijs. AR. IIII.

Auellanæ descriptio, & eiusdem prouentus magnus. AVellanæ nuces ex ea sunt arbore quæ Corylus dicitur, & in multorum hortis frequens hodie conspicitur. Hæ molli primùm caliculo teguntur, mox lignoso quidem, sed fragili putamine, cui tenuis subest membrana rotundũ nucleum obuoluens, in cuius vmbilico peculiaris alter includitur. Gallicani montes, præsertim

Oblongæ & rotundæ auellanæ. nemorosi, coryletis adeò vestiuntur, & auellanis oblongis ac rotundis tanta scatent vbertate, vt illas plenis saccis rura in vrbes comportent. Oblongas

longas præstantiores & gustui gratiores esse constat: maximè quæ putamine & interiore tunica vehementer rubent, suntq́ fractu minimè contumaces: nam vegetiore sunt nucleo, ac diu perdurãt. Sunt in magna nominum ambage nuces istæ, primùm auellinæ patrio nomine vocatæ, ac si diceres abellinæ, ab Abellino Campaniæ oppido (vt volunt Grammatici) vbi abundare cœperũt. Appellantur etiam Ponticæ, quòd è Ponto in Asiam & Græciam venerint, vt tradit Plinius. Dicuntur præterea Heracleoticæ, Preneſtinæ, & Leptocarya Græcis. Rura Gallica *Nucellas, Corylos & Auellanas* nuncupant. Quod ad facultates attinet & medica auxilia, Galenus eas plus essentiæ terrestris & frigidæ habere contendit, quàm iuglandes: adhæc plus alimenti præbere, nam densiores sunt, & minùs pingues. Philotimus libro quem alimentis dicauit, dolorem capitis ciere scripsit, sed iuglande minùs: cibis præterea extare ac innatare dixit: si tamen ignem expertæ fuerint, innocentiores reddi, quòd torrendo noxia pinguetudo tollatur. Faciunt itaq; dolorẽ capitis immodicè ac intẽpestiuè sumptæ, aduersanturq́ stomacho, quẽ inflationibus distẽdunt. Alopecias pilo vestiunt, modò axungia, vel vrsino seuo excipiantur: medentur præterea distillationi, si tostæ fuerint. In aqua mulsa tritæ, veterem tussim haustu leuant: & cum modico pipere tostæ, deinde contusæ, & ex eadem aqua potæ distillationes cõcoquunt, vt scribit Dioscorides. Alij è passo bibendas cẽsent: suntq́ autores nõnulli, cæsiorum oculorũ pupillas infantibus denigrari cinere putaminũ auellanarum ex oleo sincipiti conspersо: adhæc pinguedini cõferre, & præter fidẽ corpulen-

Auellanarũ variæ nomẽclaturæ.

Facultates auellanarũ.

Alopecia, distillatio, tussis pupilla & pinguedo.

lentiam augere. Diocles inter Græcos geoponicos celebris, posteritatis memoriæ mandauit, nucem auellanam minùs amygdalis alere, ac cibis (vt diximus) extare: quæ si largiùs estur, caput tẽtabit, viridem, tamen arida innocentiorem esse promisit. Sed hoc loco non est omittendum quod simplex rusticitas obseruauit, serpẽtem obtorpescere quæ coryli caudice, vel surculo icta fuerit, ac tandem emori. Addit Plutarchus, scorpium in domicilia non obrepere, quoties coryli nucula laquearibus appensa cohærebit. Horum veritas facili experimento elucescet.

Duo pulchra & summè notáda.

Castanea arbor, eius fructus, & medica vtriusq; auxilia. AR. V.

ETsi Castaneæ potiùs agrestes & montanæ censeantur esse, quàm hortenses & vrbanæ, videantúrque clasi pomiferarum arborum veriùs quàm nuciferarum ascribendæ, de illis nihilominus breuem hoc loco narrationem ideo institui, quòd per hyemem tam diuitũ, quàm pauperum mensas vbiq; onerare soleant, et nucis nomine apud scriptorũ genus omne passim donari ac illustrari: quanquam accommodatiùs glandium ordini accenseri possent, vt Græcorũ nonnullis visum fuit, qui castaneas Διὸς βαλάνους, hoc est Iouis glandes, dici voluerunt: cùm tamen iuglandis, aut si mauis, Iouis glãdis appellatio, nucibus regijs (quas basilicas nuncupãt) aptiùs conueniat, ob causas nobis in iuglande superiùs productas. Sed hæc Grãmatico, nõ medico discutienda erãt. Duplices apud nos visuntur castaneæ, altiles quę multo maiore corporis tuberculo constant, & vulgò *Marones* appellari solent: quòd inter casta-

Cur castaneas montanas non hortenses hic autor describat.

Castaneam quibusdam iuglandem dici.

neis veluti mares habeãtur, quos in omni rerum genere (vt tradit Galenus) fœminis habitiores esse constat. Aliæ multò sunt minores, reputãturq; vt fœminæ: vnde maronibus seu maribus castaneis longè inferiores & macilentiores esse spectantur. Illę lautiores diuitum mensas claudunt, hæ pauperũ ieiunia saturant. Illas cineribus calidis torrẽt locupletes, has in aqua coquunt & elixãt populares, ad auidã eorum famem exsatiandam: ex quo populares & coctiuæ Plinio nuncupantur. Verũenim verò priùs quàm & hæ & illæ igni credantur, ferro ad carnem vsq; intra earum pediculum vulnerari debẽt, vt hiatu plagę spiritus igne citatus erũpat: alioqui magno crepitu, instar nubis tonantis, prosiliunt, nõ sine assedentium terrore & periculo. Sed hæc coquinam potiùs olẽt quàm medicinam. Venio itaque ad præsidia. Castaneæ tam alui quàm ventriculi fluxiones Dioscoridi sistunt: idque tunica maximè, quę carnem & corticem media intercursat. Siccæ sanguinem excreantibus valdè prosunt: & cum sale tritæ, melléque subactæ, rabidorum canũ morsibus vtiliter imponuntur. Cum hordeacea polẽta & aceto illitæ, mammarum duritias discutiũt: & recenter coctæ ac parcè piperatæ, sopitã Venerẽ excitant, ob flatulentam humiditatẽ qua scatẽt. Largiùs tamen sumptæ capitis dolorem conciliant, inflant, aluum astringunt, & ægerrimè coquuntur, præsertim ab imbecillo vẽtriculo. Quæ tamen cineribus obrutæ torrentur, innocentiores redduntur, maximè si cum sale, saccharo, aniso, vel cinnamomo edantur. Sunt qui illis in vino maceratis, & cum farina subactis, pessi vice vtantur ad supprimendos menses. Sanè & si Galenus

Castaneæ duplices, mares & fœminæ.

Cur ferro vulnerandæ sint castaneæ antequàm igni committantur.

Aluus, ventriculus, sanguis, morsus canis, mammę, Venus & menstrua.

Quomodo innocenter sumantur castaneæ.

Castanearũ vsus suspectus.

Galenus ſcripſerit caſtaneas plurimùm nutrire, non tamen in cibis valde commendantur. Nam ſiue elixæ, ſiue toſtæ, ſiue etiã frixæ fuerint, ſemper eſitantiſsius noxam inferunt, multoq; magis ſi crudæ edantur. Non ſum neſcius monticolas, vbi aliarum frugum annona deficit, per totam hyemem caſtaneis victitare, fumo priùs in cratibus exſiccatis, & ab vtroque cortice ſpoliatis, necnon in farinã redactis, & poſtremò in panem coactis & coctis: aut ex lacte, vel iuſculo in pulticulam conformatis. Quæ omnia eos belliſsimè alunt, nec quidquam illis obſunt, propter aſsiduas exercitationes, & ſalubrem aëris regionem quam inhabitant.

Caſtanearũ vſus, vbi aliarum frugum annona deficit.

Laurus & eius baccæ, cum medicis earum facultatibus & auxilijs. AR. VI.

LAurus triumphis propriè dicata, & Cæſarum ac Pontificum, vt ſcribit Plinius, ianitrix, eorũ palatia exornãs, & ante limina excubans, iure bono hîc de me poſſet conqueri, ſi ex iſta plantarum & arborum medica hiſtoria excluderetur: cùm etiam ſuo nomine Gallis non ſolùm ſit cognita, ſed & ſedulò exculta & ſummè dilecta. Ad illam itaque calamum peropportunè conuertemus, pauloq; fuſiùs de ea philoſophabimur, quàm in præcedẽtibus arboribus factum eſſe audiueris: cùm ob illius eximiam præſtantiam, tum q; de eius hiſtoria in noſtris Hortorũ ſecretis, cura & auxilijs, ne γρῦ quidem, vt loquũtur, ſcriptum reperias, perinde atq; de ſequẽtibus aliq̃t arbuſculis. Sed à verbis ad rẽ feſtino.

Laurus Cæſarum & Põtificum, ianitrix.

Cur de hac arbore, & ſequentibus fuſe ſcribatur.

Laurus arbor eſt odorata, leui cortice & tenui veſtita, perpetua frõdens coma, caudice procero,

Lauri pictura & de-

cero, pingui ſucco ſcatente, & nodis perquã paucis exaſperato, flores edit paruos & muſcoſos, oleæ ferè ſimiles, ex luteo albicanteis, ex quibus baccæ prodeũt colore primùm viridi, & per maturitatem nigro, craſſo intus nucleo. Aſpernatur algentes & frigidos tractus, quòd calida ſit. Prouenit cùm ſemine, tum auulſione, ſi quis illam ſerat ſurculis ablatis. Vſus eius ad baculos & ſcipiones, quibus & perpulchris & leuibus, caduca & nutans innitatur ſenecta. Vaticinationis arbor eſſe fertur. Vnde Apollini lucidiſsimo & igneo ſacra eſt, vt teſtatur Porphyrius in libello de Sacrificio & magia, et ob id ignes manifeſto crepitu abdicat (Plinio autore) ignitisq; & flammiuomis fulminibus, vt poſteà dicemus, palàm reſiſtit: quod etiã nonnihil Iouia ſit. Nam in Iouis gremio per templa quoties noua victoria lętitiam attulerat, deponebatur. Pacifera itaq; hæc arbor, victoriarum ſemper fuit index, lætitiæ ſemper nuncia, & ob id militum arma, Pontificum ædes, Imperatorum faſces olim decorauit. Id quod ingenioſus ille poëta nec ignorauit, nec tacuit, dũ Apollinem de ſua Lauro, κατὰ ἀποστροφὴν, ad hunc loquẽtem modum introducit:

Scriptio pulcherrima.

Lauri præſtantia & quòd à fulmine non feriatur.

Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebunt
Te coma, te citharæ, te noſtra, Laure, pharetræ:
Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis, eadem fidiſsima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamq; tuebere quercum:
Vtq; meum intonſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Laurũ Apollinis arborẽ eſſe, ex Ouidio.

Illa eadẽ boni genij arbor eſſe fertur: vnde etiam

Oo dæmo-

dæmonibus aduersatur: nã vbi Laurus fuerit, inde illi recedũt: vt à Cassio Dionysio Vticensi γεωπονικῶν Magonis interprete, scriptum & adnotatum esse reperi. Addit prætereà, quòd neque dæmon, neque morbus sacer locum infestare potest in quo laurus fuerit: imò verò neque fulmẽ, quod sæpenumero ab aëris spiritibus & potestatibus, Deo ita permittẽte, excitatur. Traditur de eadem arbore quòd sanitatem efficiat: vnde etiã folia ipsius vnà cum caricis à populo Romano Calendis Ianuarij Magistratibus porrigebantur, boni ominis nuncio, vt autor est Plinius. Cùm antiquitùs laurei rami inter armatos hostes prætendebantur, firmum quietis erat indicium. Hæc vna arborum sola est, quæ Romæ è cœlo missa à Ioue fuit, vt ea Imperatores coronarentur. Etenim cùm Liuia Drusilla, quæ posteà ex cõnubio, Augustæ nomen accepit, pacta esset Cæsari, contigit gallinam conspicui candoris, ea sedente in hortis, ab aquila in eius gremium ex alto, absque vlla læsione, demissam fuisse: intrepideq́ miranti aliud accessit miraculum, quòd teneret rostro laureum ramum suis baccis onustum. Consulti aruspices iusserunt auem seruari cum futura sobole, & ramum seri ac ritè custodiri. Qui posteà adeò creuit & se propagauit (licet radicibus caruerit) vt breui tẽpore populosam fecerit syluã: ex qua posteà Cæsar triumphans laurum in manu tenuit, & coronam in capite gessit. Quod deinde à reliquis Cæsaribus factum, obseruatumq́ fuit: contigitq́ inde, vt Romæ plures laurorum syluæ longè lateq́ virescerent, quæ ob id lauretta vocabantur: traditusq́ mos est, Plinio autore, ramos serendi quos manu tenuerant Imperato-

Mira lauri natura & prodigiosa.

Pulchra historia de lauro & gallina demissa in gremiũ Drusillæ Augustæ.

Vnde Romę tot laurorũ copia.

rato-

ratores:& obſeruatum ſub cuiuſq; Cæſaris obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elãguiſſe, ac vltimo Neronis anno ſyluam totam cum gallinis omnibus interijſſe, vt tradit Suetonius in vita Galbæ. Laurum dijs gratiſsimã eſſe arborem, vel illud de multis indicare poteſt, quia manu ſatarum receptarúmque in domos, fulmine ſola non icitur. Quod equidem fulmẽ nec diuinitatis, nec principum amplitudinis ratione habita, plerunque turres templorum excelſas deijcit, ſuperba mũdi palatia dilapidat, & homines ſæpenumero immaniter atterit, vna arborũ lauro ſalua & incolumi, niſi in futuræ calamitatis ſignum & prodigiũ: ac ne quidem ædes in quibus illius fuerint rami, de cœlo tãgi, pro certo creditũ eſt. Proinde Tiberius Cęſar fulminum metuentiſsimus, cœlo tonante, lauro coronabatur, poëtarum more, quorum tempora virente lauro præcingi ſolent éſtque Apollineorum Muſas colentium præmium: Phœbo, inquit Maro, ſua ſemper apud me munera ſunt laurus, & ſuauè rubens hyacintus. Olim in prophanis vſibus laurum & oleam pollui moris non erat: vt ne propiciandis quidẽ numinibus accẽdi ex his altaria, aræve debebãt. Ceterùm, corui, occiſo chamæleõte, deuorata lauri fronde infeſtum virus extinguunt: hac etiam graculi, palumbes, merulæ, & aliæ aues quamplurimæ annuum faſtidiũ purgare conſueuerunt. Addo, quòd tanta vi pollent lauri virentis rami, vt his per arua defixis, rubigo, ſumma ſegetum peſtis, abigatur, tranſeatq; illa, ex Plinij & priſcorum geoponicorum ſententia, in eorum folia ex aruis. Porrò, hîc nec tacendum nec omittendum mihi duxi, quòd laurus ex ſe vim habet ignẽproducen-

Quando fulmine tangatur laur⁹.

Tiberius Cæſar fulminum metuẽtiſsimus.

Lauri ramos pollere contra rubiginem.

ducendi. Quippe, si exsiccatæ lignum ligno frequétiùs teratur superaspersо sulphuris puluere, aut arido fomite alio, statim ignis exiliet: idquod Plinius paulò aliter quàm Matthiolus tradit: Si laurò, inquit, teratur hædera, laurumq́ terat eadem, ignis excutietur: itaq́ teritur lignum ligno, flammamq́ concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi, vel foliorum. Exploratores hos vsus in castris, & pastores repererunt: quoniam ad excutiédum ignem non semper se offert lapidis occasio. Sunt qui moro idem tribuant, & alijs plerisque arboribus, è quibus igniaria fiunt. Penè præterieram, quòd in Ponto circa Heracleã laurus erat, quæ, vt ferunt, tumulum regis Bebrycum tegebat, quam vocabant insanam: quoniam si quid ex ea decerptũ inferebatur nauibus, iurgia fiebant donec abijceretur. Lauri folia vsui sunt ad siccas ficus seruandas, vt scribit Petrus Crescẽtius georgicographus non ignobilis: eadẽ prætereà non ineptè, inquit ille, remiscentur gelatinæ, sic vocatæ, ad odorem conciliandum, si febris absit. Sunt etiam qui circa cidoniatum inspergant: sed hæc cocis curanda relinquemus, vt medica medici tractemus. Venio itaque ad medicas & auxiliares lauri & baccarũ eius facultates, ex Græcorum, Latinorum, & Arabum medicinæ professorum placitis et obseruationibus. Cortex radicis lauri, vt autor est Galenus, calculos confringit, & iecori prodest, ex vino fragrante bibitus triũ obolorum pondere. Lauri cymæ tenerrimæ vnà cum calamintha & sale tritæ, & ex aqua tepida sumptæ, aluum concitant, pituitamq́ & lumbricos celeriter eijciunt. Eædem cum nardo in vino feruefactæ, aurium grauitatem & sonos curant,

Laurũ producẽdi ignẽ vim habere ex se.

Lauro quando & quomodo vtantur coci.

Calculi, iecur, lumbrici & aures.

curant, si calentis decocti vapor per infundibulum in aures excipiatur. Laurus, quod scriptum anteà oportuerat, excalfactoriam & emollietem habet facultatem, tam folijs, quàm cortice & baccis: ob id eius decoctum prodest vuluis insidentium, ac vesicæ vitijs auxiliatur. Viride foliũ tritum, vesparũ, crabronum, & apum ictibus illitu resistit, adhæc serpentium venenis. Podest mensibus fœminarum cum oleo coctum, & inflammationes cum pane ac polenta mitigat. Terna folia tenerrima per triduum commãducata, ex recenti butyro, liberant à tussi. Germina cum polenta trita, oculorum inflammationes, cum rosaceo & ruta testium, & cum irino oleo capitis doloribus auxiliantur. Eadẽ cum melle trita suspirijs commendantur: sed pota vomitiones mouent. Quanquam cortex radicis calculos dissipare fertur, nihilominus grauidis summoperè est cauendus, nam partus enecat. In remedio iacentis vuulæ, foliorum, baccarúmve decoctum ad aquę ternas partes, gargarizata calido exhibetur, & salubriter ad alui, intestinorúmque dolorem propinatur. Trita lauri folia, subindeq; olfacta, pestilentiæ contagia cohibent: tanto magis si vrantur. Sunt qui celeritati partus multùm conferre putent lauri radicem, acetabuli mensura ex aqua potam, sed eam in rem efficacior habetur recẽs quàm arida. Tenerrima folia trita in vino, & illita, pruritus noctibus delent. Baccæ lauri, quæ Græcis δάφνιδες nuncupantur, magis quàm folia calfaciunt. Cum melle vel passo, aut ecligmate cum aqua mulsa, tabescentibus prosunt: eodẽ modo & omnibus thoracis rheumatismis: nam & excoquunt pituitam, & eam expectorãt.

Vterus, venena & inflammationes.

Tussis, oculi, testes, caput, suspiria, vomitus, & calculi.

Vuula & intestina.

Partus & pruritus.

Tabes, thorax, & columella.

Restituunt prolapsam columellam, si cum æquali pondere cumini, hyssopi, origani et euphorbij, melle excipiantur, & summo capiti calidè applicentur. Eædem cum triticeo furfure iuniperi granis & allio contritæ, & super ca'ente tegula vino subinde respersæ, pubíque admotæ, suppressam & remoratam vrinam euocāt. In capitis dolore, numero impari eas ex oleo conterere, calfacere & admouere iuuat. Ex vino bibuntur aduersus scorpiones. Tritæ & appositæ, vel ex vino generoso, si absit febris, potæ, menses trahunt. Epinyctides & vitiligines ex oleo illitæ emaculant, & lentigines vlceráq; capitis manantia ac furfures tollunt. Succus earundem cutis pruriginem & phthiriasim emendat. Sptem lauri baccæ à prægnantibus popediem parituris, cùm se dormitũ recipiunt, deuoratæ, facilem, fœlicémque partum præstant. Bibuntur ex vino aduersus scorpiones. Veterem tussim & orthopnœam sanant. Baccæ illius lauri quæ tenuiora habet folia, serpentibus, araneis, & scorpionibus cum vino aduersantur, illinunturq; salubriter lieni ac hepati, ex oleo & aceto, necnon gangrænis cum melle. Recētium succus, aurium dolori ac grauitati instillatur cum vino vetere & rosaceo, earundemq; strepitum coërcet. Ad fatigationes & perfrictiones succo earundem vngi, nitro adiecto, summè prodest. Venenata omnia laurino oleo perunctos fugiunt: Quod vnum etiam discutiendis neruorum vitijs, doloribus lateris relaxandis, & febribus frigidis vtile est, adhæc aurium grauitati in cortice punici tepefactum. Sic autem oleũ id conficies. Baccas lauri quamplurimas maturitate turgentes in calida aqua discoque, & vbi diu ferbue-

Vrina, capitis dolor, serpentes, vitiligo, & lentigines.

Prurigo, phthiriasis, parturiētes.

Tussis & orthopnœa.

Lien, hepar, gangrænæ, aures, et perfrictiones.

Nerui, latus, febres, aures.

Oleum lauri ad neruorum vitia.

ferbuerint, olei quod ex se dimiserint supernatantis vndam, pennis leniter cogentibus & deducētibus, in idonea vasa transfunde, & in vsum serua. Ex Plinio & Columella id postremum esto, & ad superiora veluti πάρεργον habeto. Pituitæ gallinarum medicina est in fame, & cubatus in fumo, vtique si ex lauro, vel herba sabina fiat. His positis, ad Iuniperum, eiúsque baccas & vernicem commodùm transeo.

lateris dolores, febres frigidas, & aurium grauitatem.

Gallinarum pituita.

Iuniperus, & eius baccæ, ac vernix, cum medicis eorundem facultatibus & auxilijs.

AREA VII. *hidropico*

HIC de Iunipero, quæ Gallis nostratibus *Geneure* nuncupari solet, eò libentiùs, & alacriùs scripturus sum, quòd eius rami et caudices non illepidè topiarias hortorum vites & celebres attegias in magnatum viridarijs fulciāt & sustineant. Adhæc, quòd eius ligna plenis nauigijs Lutetiam deferantur in vsus varios, & fasciculatim per compita à baiulis hominibus declamentur, fouendis & recreandis ex illorum igne, calore & odore, cum corporibus, tum animis & spiritibus: Nam fumum vbi aduruntur non iniucundum expuunt & effundunt. Qui eximia odoris suauitate grassantia pestilentiæ contagia excludit, & sæuientem perniciem eluit. Sed ad eius historiā accedo. Iuniperi genera duo, apud nos, vt etiam alibi repeririuntur, montibus vernacula. Vnum, humile, ramulis in terra sessilibus et parum se ab humo attollentibus: quibus spina est pro folio, coronarij rosmarini æmulo, sed angu-

Iuniperi vsus in magnatū viridarijs.

Lignorum Iuniperi fumus contra pestilentiæ contagia.

Duo genera Iuniperi.

angustiore, baccis primùm virétibus, deinde per maturitatem nigris, & nouis semper caducas occupantibus. Alterum, sublimiùs adolescit, caudice procero, cortice fragili & leuiter fatiscente, ligno fuluo & odorato, latioribus ramis aculeorũ aceruo stipatis, & baccis alteri similibus: vtrique facies horrida, & pungentibus spinis minax, coma perpetuò virente, absque flore. Montes & colles lapidosamq; humum amat vtraque: ob id in planis vel ægrè nascitur, vel humilis & abiecta in his iacet, cubilibus sanè quàm opportuna & grata cuniculorum: nam illius baccis & pilulis libérer vescuntur: ex quo iuniperum olere, dum mensis apponũtur, & eduntur, vulgò dici solet. Porrò, licet iuniperi, vere nouo, cum alijs germinét arboribus, nihilominus omnium tardissimè fructum reddunt. Nam nouus fructus in ijs autumno pendet, recénsque veterem, vt diximus, occupat, & ita ad bimatum prorogatur, baccis subnascentibus, quæ biennio hæreant, & si in arbore relinquantur marcescant & corrugentur: ob id decerpuntur, & aliquandiu cõditæ seruantur invsus, paulò post tibi exponendos. Iuniperi lignum & materia fabricis tam sub dio futuris, quàm terra obruendis admodum conuenit, ad multas annorum centurias incorrupta perdurans. Quod memorabili historia, ex Plinio, apertum notúmque faciemus. In Hispania, inquit, Sagunti aiunt templum Dianæ Ephesiæ à Zacyntho aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troiæ, vt autor est Bocchus, infraq; oppidũ ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus Annibal, iuniperi trabibus, etiam nunc, inquit Plinius, durantibus. Hinc sanè mirari

Cur Iuniperum sapere dicantur cuniculi.

Iuniperi materia ad multos annos incorrupta manet.

cari non licet, si Chymistæ asseuerent carbonem iuniperinum accensum, & suo cinere obrutum, ignem integro anno fouere. Sed de arbore satis, nunc demum de illius gummi agẽdum. Sunt qui tradant iuniperum æstiuis solibus lachrymam sudare, quæ caloris vi durata in gummi coëat, quod vernicem nuncupant: colore vbi primùm metitur, candido, dum senescit luteo, & nimia senecta in rufum degenerante. Præstantissimum, claro nitore lucet, ac prunis iniectum nidorem thuri nõ cedentem expirat. Eo vtuntur scriptores pẽnarij ad poliendã & exasperandam papyrũ. Si colores quiuis infectorij eodem aliquantulũ imbuantur, ita tinguntur, vt pertinacius hęreant, quàm deleri facilè possint: Quibus si farina eiusdẽ superiecta fuerit, summum nitorẽ conciliat. Non omittam quod ex syncero vernice & oleo ex lini semine presso, fit vernix liquidus. Cuius vsus est ad illustrãdas picturas, & ad nitorẽ ferro conciliandum. Vtilis etiam ad ambusta, & pręcipuus ad dolores ac tumores hæmorrhoidũ. Sed id ad medica iuniperi auxilia reseruandũ erat: de quibus sese hîc offert dicendi locus. Verumenimuerò, prius quã id aggrediar, & de medicis iuniperi facultatibus dicã, precium operę facturum me puto, si defunctoriè & obiter admoneã medicinæ candidatos, (ne pro re salutari venenum exhibeant) quòd vbi Arabes sandaracham medicamentis inserendam præcipiunt, gummi iuniperi miscendum intelligant. Vbi verò à Græcis sandarachæ fiet mẽtio, fossilis illa, rufa & auripigmento similis, concipiatur & vsurpetur. Nam sæculo Dioscoridis & Galeni, vt volũt, nondum venerat vernix in vsum, nisi succini nomine, cui & dotibus naturæ, & viribus

Carbonem Iuniperi integro anno ignẽ fouere.

Vernicis Iuniperi color præstãtia, & probatio.

Vernix liquidus & eius vsus.

Pulchra & summè nota da de vernice & sandaracha.

proximè accedit. Nunc ad medicas iuniperi & partium eius facultates calamum conuerto.

Vrina, hydropici scabies, pruritus, & podagra.

Ex iuniperino cinere & vino albo paratū lixiuium, si hauriatur pondere vnciarum quatuor, valentissimè vrinam pellet. Quo auxilio visi sunt etiā hydropici sanati, nullo alio, diebus aliquot, adhibito remedio. Idem lixiuium scabiem curat & pruritum tollit, vbi eo sese perfuderint affecti. Paratur & ex iuniperi ligno balneum admirādæ virtutis & facultatis ad podagricos, hac forma.

Balneū præstantissimū ad podagricos.

Accipe ligni iuniperi in scobem attriti & derasi libras XII. coque ex aqua in lebete magno, donec pars tertia fuerit consumpta: tum demum decoctum vnà cum ligni rasura in labrum proijce, & in eo æger vmbilico tenus sedeat, ac ibi excruciata membra, corpore præpurgato blandè foueat. Vidimus, inquit Matthiolus, nonnullos podagricos in Bohemia, perpetuo cruciatu languētes, & in lectulo miserè iacentes, eo balneo aliquoties vsos, adeò reualuisse, vt expeditiores, quàm anteà, ad solita negocia redierint. Fit & ex iuniperina materie oleum per descensorium, vt Chymistę loquuntur, duobus aduersis fictilibus tum pariter vitreis instrumētis: quod calidū ore contentū carnificinam dentiū mirificè demulcet, si ex frigida defluxione processerit. Sed ex baccis iuniperi longè præstantius euadit, & iucundissimo odore summè placet. Foliorum succus illinitur, bibiturq; vtiliter cōtra viperæ morsus. Cinis corticis lepras exterit: & tam folia, quàm ligna accensa serpentes fugant. Nūc de baccis dicendū. Baccæ iuniperi vtiles sunt doloribus ventriculi, pectoris & laterū, siue sumantur, siue ex earū decocto partes illæ foueātur. Eadē & lauri, cuiusq;

Oleū iuniperinū ad dentiū cruciatus mirum.

Ventriculus pectus, latus & partus.

septe-

ſeptenæ, additi cinnamomi vulgaris drachma, ſi in turturis ventrem confracta immittantur, & turtur inter aſſandum gallinaceo adipe perfundatur, & tum demũ mulieri propediem pariturę diebus alternis in eſcam veſperi exhibeatur, prægnãs facillimè & nequaquàm laborioſè, vt ferũt, pariet. Iucundum ſanè remedium ac ſuaue. Eædẽ ex nigro vino potæ, aluum, ventriſque tumores ſiſtunt, & vteri ſtrangulatibus proſunt. Saccharo conditæ, aut ex vino generoſo coctæ, inflationes, tormina, eorumque langores diſcutiunt, tuſſes concoquunt, & vrinas mouent. Confractæ, vino albo incoquuntur, vnà cum roſis, cupreſſi pilulis & myrti folijs, ad dẽtium cruciatus. Sanè ſi quis hoc decocto calido, addito aquæ vitæ momento, os colluerit, vel inſuccato ibidem linteolo, dolentem dentem veſtiuerit, extemporaneum & mirabile experietur auxilium. Coxarijs, ſeu iſchiadicis quaternæ iuniperi pilulæ, ex vino albo vtiliter propinantur. Addo quòd & baccarũ & foliorum decoctum hauſtum, menſes valentiſ ſimè proritat & elicit. Sed de baccis hactenus, vt vernici ſeu iuniperino gummi ſuũ demus locũ: cuius vſus frequens occurrit. Iuniperi gummi, quòd vernicem nuncupari diximus, ſanguinem naribus ruentem ſiſtit, ſi cum oui cãdido teratur & temporibus ac fronti illinatur. Ventriculum in bilioſos vomitus effuſum cohibet, ſi eius farina in ouo ſorbili deglutiatur: quæ etiã cruentam alui proluuiem coërcet. Neruorum reſolutionibus quas humores frigidi contraxerunt, opitulatur. Capitis deſtillationes ſuffitu diſcutit: & fluentes hæmorrhoidas illitu ſupprimit, ſanguiniſque excreationes cum idonea materia retinet.

Aluus, venter, vterus, tuſſis, tormina, & vrina.

Remediũ extemporaneũ ad dentium carnificinã.

Iſchiadici & menſtrua.

Sanguis nariũ, vomit', alui proluuies, neruorũ reſolutio, capitis deſtillationes & hæmorrhoides.

Sanguinis excreatio, vomi-

vomi-

vomitus, alui fluor, rhagades, catarrhus. Vomitionem cum polline thuris & oui albo exceptus supprimit, si ventriculo calidè admoueatur: aluum quoque fluentem illitu retinet. Addito rosaceo vel myrtino, sedis rimas claudit: & hiantibus frigore pedum, manuumue, scissuris, illitu succurrit. Catarrhum suffitu suspendit, arcetque ne præceps ad ima decumbat. Pituitam, quæ in ventriculo, vel intestinis hæserit, valenter expedit: & humorem qui à cerebro deorsum perniciter ruit, pulchrè continet. Fumus per infundibulum exceptus, dentium cruciatus mulcet, vbi ad dolentes peruenerit. Vliginosos fistularũ sinus, vernicis puluis ijs inditus resiccat, & mensium profluuia sistit. Grauedini suffitu auxiliatur. In summa, vernix viribus & facultatibus succini, vt diximus, pollet: calfaciens & exsiccans secundo recessu, & nonnihil amaritudinis præ se ferens, quod hîc postremum erit.

Dentes, fistulæ, menses, grauedo.

Sambucus arborea, & herbacea altera, Ebulus nuncupata, cum medicis vtriusque facultatibus & auxilijs. AR. VIII.

SAmbucus, vel, vt Quinto Sereno placet, Sabucus, Ἀκτὴ Græcis, & *Sus* vel *Suseau* Gallis vocata, duorum est generum. Prius in hortorum & vinearum sæpibus frequens & medullosum visitur, vmbellam, seu muscarium gerens candidis flosculis illustre: qui tanta odoris suauitate placent, vt eorum conditurâ nostrates acetum iucundissimum faciant. Semen fert baccis, seu acinis mollibus & paruis, lentoque humore scatentibus, & sanguineo colore manus inficiẽtibus Materies ei mirè firma datur, & ob id scutis faciendis, vt perhibet Plinius, aptissima. Nam accepta

Duo Sambuci genera.

Materia Sambuci scutis faciẽdis apta

pta plaga, (vt de ficu, tilia, salice, betula, & vtraque populo, ille idem testatur) se protinus contrahit, clauditque, & ob id ferrum contumaciùs transmittit, aut transmissum pertinaciter retinet Alterũ sambuci genus agreste potiùs quã hortẽse Græcis chamæacte (quòd humi breuius iaceat, ac si esset pumila sambucus) Latinis Ebulus, & Gallis Hyebla dictum, herbaceo generi propius accedit, quàm arboreo, quadrato caule constans, densis articulis geniculato, cui folia ex interuallis circa nodulos expandũtur, amygdalinis haud dissimilia, præter serratũ marginis ambitũ. Graui odore planta hæc nauseã mouet, flore, acino, & muscario, sambuci æmula: sed odore longè dispari. Nascitur in opacis, vliginosis, & aquosis locis. Hæc perfunctoriè & obiter de vtriusq; sambuci pictura & effigie scripta sint: Superest vt eodẽ penicillo, medicas vtriusq; facultates depingere, ꝓ nostræ Mineruæ tenuitate satagamus. Ebulus seu humilis sambucus.

Stillatitia aqua radicum Sambuci maioris, & item minoris, hoc est Ebuli, hydrope tympanite laborantes mirificè iuuat: si huius vnciæ binæ, illius verò quaternæ, vtrisq; simul mistis, ab ęgrotante diebus xxx. cõtinuis hauriãtur. Eiusdẽ sambuci tenerrima folia, quæ primo statim germinatu erumpunt, vnà cum pari põdere radicũ plãtaginis, suillæq; axungiæ veteris trita & subacta, podragicos dolores præsentaneo remedio placant. Hydrops tympanites.

Succus foliorum, collectiones cerebri, & priuatim mẽbranæ quæ circa cerebrum est, infusus lenit. Eiusdem, vt etiam ebuli, decoctum, recenter ambustorum inflãmationes refrigerat: & canis morsum cum polenta sanat, mollissimis foliorũ appositis. Aqua è sambuci floribus fronti & sincipiti Podagra, ambusta, cerebrũ, canis morsus, & capitis dolor.

cipiti illita, capitis dolores mitigat, qui à calido humore processerint. Foliorum teneritudines & germina ex oleo & sale eduntur, ad pituitã & bilem detrahendã. Acini tingunt capillũ. Vtriusque sambuci decoctũ in vino veteri, foliorũ, seminis, vel radicis, ad binos cyathos potum, aluo aquas detrahit: sed ventriculo summè est noxiũ, nisi roboratibus tam intus q̃ foris ille præmunitus fuerit. Succus è cortice radicis expressus, vomitum valentissimè mouet, & aquã intercutẽ excludit: præstat idem è radicibus extractus. Vsta sambuci folia & in puluerẽ trita, fluentem è naribus sanguinem sistũt. Decoctionis radicis & vini cyathi duo, hydropicos exinaniunt: & foliorum decoctũ, insidẽtibus vuluas & vteros emollit. Resistunt folia serpentium ictibus in vino pota: & illiti cauliculi cum hircino seuo, podagris valde prosunt. Sed ad omnia efficacior est sambucus minor. Baccarum vtriusque succus à recremento suo purgatus seu defæcatus, si cum melle optimo coquatur ad Zulapij consistentiam, aurium dolores tollit, si calidus imponatur. Fungi qui ad imã sedem caudicis sambuci reperiuntur (auriculam Iudæ proditoris vocant nonnulli) in aqua rosacea macerati, capitis dolores & columellę inflammationes emendant. Hoc loco mihi prætereundum non est, sambucinum vnguentum omnium præstantiss. ad ignis ambustiones, quod hoc paratur modo. Accipe corticis viridis sambuci, qui statim sub primo delitescit libro herbacei coloris, libram vnam (vel quantum libuerit, habita sequentiũ ratione) olei pluries loti in stillatitia florũ sambuci aqua, libras duas, ferueant simul aliquandiu: deinde in colatura expressa adde ceræ no-

Hydrops, vomitus, nariũ sanguis, veteras, podagra & serpentes.

Iudę auricula auriũ dolor, & columellæ inflãmatio.

Compositio vnguẽti sambucini præstantiss ad ignis ambustiones.

ræ nouę & odoratę, necnon ſucci ſurculorũ ſambuci, cuiuſq; vncias quatuor: rurſus ferueãt quouſque ſuccus exhauriatur & vaneſcat: tũc ab igne auferto, & rudicula agitato, vt omnia ritè pmiſceantur: ſub finem, adde vernicis liquidi vncias duas, & ouorum duorũ albumina, diu multũq; cochleari agitata. Tum demum miſce omnia diligenter, & mundo vaſe ea in vſum referua. Hæc Andreas Matthiolus. Ad Ebuli medicas facultates accedo.

Ebuli, ſeu minoris Sambuci, caules teneili & cymæ, cum butyro recenti, vel oleo & ſale ſi coquantur, aluum lubricabunt, & ſparſa ex ſimplici decoctione foliorum aqua, pulices necabit, ac muſcas fugabit. Radicum ſuccus procidentem ſedem reprimit, & anginam tollit, ſi calidus illinatur circa gulam, & inſuccato eo linteolo, exteriùs admoueatur. Semen per diutinas & multas aquæ lotiones à nigro circunſtante ſucco repurgatum, datur vtiliter ex decocto chamępythios podagricis, iſchiadicis, & Hiſpanica lue laborantibus. Nam deiectoria vi eorum dolores eximiè mulcet, quòd ruentes in partes affectas humores partim reuocet, partim excludat. Radix in vino decocta & cibis data, hydropicos iuuat, & vteri ſpiracula laxat, eiuſque vitia emendat. Sunt qui Ebuli radicibus ſuccum eliciant, & ſubinde inſolent, ac in paſtillos digerant, & ad idoneum opportunumque vſum ſeruẽt. Hic clyſteribus infuſus, tam inteſtinorũ, quàm coxendicum dolores à frigiditate & flatu obortos tollit. Quinetiam vtiliter fœminarum locis ad menſes euocãdos ſupponitur, præſertim ſi lana exceptus intromittatur. Ebuli decocto commodè & ſalubriter ſuffi-

Aluus, pulices, muſcæ, procidentia ſedis.

Podagra, iſchias, hiſpanica lues.

GydFops, vterus.

Inteſtinorũ & coxendicũ dolor, menſes, & cachexia, ſeu ma corporis habitus.

untur qui febre diuturna vexati, in cachexiam, hoc est, malum corporis habitum deuenerunt: dummodò ventriculus & iecur interim odoratis astringentibus, & ad id conferentibus medicamentis, opportunè roborentur.

HActenus quambreuissimè potuimus, sed non tam accuratè quàm voluimus, medicas hortensiũ materias, & earũdem facultates, methodo, vt res ipsa poscere videbatur, perspicua, & distincta, perstrinximus, docere potiùs, quã ornare contenti. Hoc potissimũ consilio vt tenuis fortunę hominibus, vrbanis ac rusticis, quò nos inuitat christiana charitas, aliqua ex parte populari ista medicina cõsuleremus. Quibus quoties libet nõ licet medicos accercere, aut inuisere, et à pharmacopœis cõposita medicamenta, vel alia, sumptu magno comparare. Prætereà, vt medicinę studiosis fenestram aliquam aperiremus ad huiuscemodi auxiliares hortulos, patriæ, parẽtibus ac amicis, vbicunq; locorũ fuerint, describendos, colendos, exponendos, & pro cuiusq; facultatibus, elegãtius exornandos. Si in id consilij rationes traducent suas, curabunt vt vetus medicina, & priscus medendi vsus, ab omni impostura & suspicione alienus, in apertam & desideratam lucẽ, veluti postliminio, aliquando redeat: magno sane, & indicibili posteritatis commodo.

FINIS.